IVS INDVBITATVM. PRO ELECTIONE PROVINCIALIS CARMELITARVM PROVINCIÆ BÆTICÆ, FACTA IN CAPITVLO GENERALI ROMÆ CELEBRATO ANNO 1660.

PROTESTATIO.

NON suscipio Aduocati, Causidici, vel Patroni munus; tum quia noui, id esse cautum Ecclesiasticis, præsertim Regularibus *Cap. 1. & 2. de postulando*, ex Cōcilio Lateranens. & Innocentio III. *Cap. Multa. Cap. Non magnopere, ne Clerici, vel Monachi*, ex Concilio Moguntino, & Alexandro III. tum quia fas non esset fungentem munere Assistentis Generalis viciari acceptione personarum: suscipio tamen munus Defensoris Iurium Religionis imitatus Magistrum Lezana, qui hoc munus suscepit in controuersia acriter Romę agitata circa prætensam nullitatem cuiusdam Capituli Prouincialis, etiam si esset Assistens Reuerendiss. Patris Vicarij Generalis, vt videre licet *tom. 2. in relectione pro eo Capitulo pag. mihi per errorem 668. cum deberet esse 678. in fine primæ columnæ, & principio secundæ*. Nam causa ista semel discussa in Capitulo Generali, & ter in Ordinis consilio, perpensis ad vnguem vtrinque rationibus, semper fuit iudicatum, ritè, legitimè, & canonicè Reu. Adm. Eustachium Gutierrez fuisse electum in Prouincialem Prouinciæ Bæticæ in Comitijs Prouincialibus, & actus geminatus inducit maiorem firmitatem, & plus operatur, quàm simplex. *l. Balista 32 ff. ad Trebell. l. 4. iuncta Glossa vlt ff. de pignor. act.* & relatis Bartholo, Tiraquel. Pinelo, Brunone, Barbosa, & alijs, tenet Lezana *cōsult. 53. in append. num. 54.* & Principes semper censentur operari secundùm leges. *l. ex imperfecto. C. de testamen. l. si hæredem. C. de inoff. testam. l. Papinian. §. Imperator*, & tenent Thom. Sanchez *de matrim. lib. 4. disp. 7. num. 1.* Basilius Ponce *lib. 4. cap. 5. num. 13.* Bosius *cap. 12. §. 7. num. 112. & 113.* Lezana *consultat. 47. num. 17.* Quibus tamen non obstantibus, Reu. Adm. Barnaba de las Ruelas, ex Prouincialis semper reluctatur ductus rationibus infra adducendis, vt tamen Ius Religionis liquidè constet, Factum, & Ius proponam, qua modestia suffert materia: quod si verbum irrepserit minus congruum, quàm decet, adscribatur precor zelo tutandi Iura Religionis, non animo irrogandi, nec in minimo, iniuriam. Quod, si contingat causam deferri ad Sacram Congregationem, vel SS. Dominum, omnino erit acquiescendum eorum æquissimo Iudicio.

FACTVM.

REuerendus Adm. Ruelas cùm esset Prouincialis Carmelitarum Prouincię Bæticæ grauissimè ægrotauit, & accersito R. Adm. Gutierrez aptauit renunciationem sui Officij, quo biennio tantùm fuerat functus, media schedula subsignata manu propria, quam nuncupauit simul, & insolidum Illustriss. Domino Nuncio in partibus Hispaniarum, & Reuerendissimo Patri Generali per hęc verba idiomate Hispano.

Illustrisimo señor, y Reuerendisimo Padre nuestro.

2 Postrandome a los pies de V. Illustrisima como Nuncio de las Españas, y a los de V. Reuerendissima como a mi Padre, y General de mi Religion, alos pies, que primero llegàre este mi papel signado mio, y hecho en forma. Yo Fr. Bernabe de las Ruelas indigno Prouincial de esta Prouincia del Andalucia del Orden de N. Señora del Carmen de la antigua Obseruancia, renuncio en manos de V. Illustris. y Reuerendiss. y de qualquier delos dos in solidum este oficio de Prouincial, para que lo pongan en persona mas capaz, que la mia; assi como porque por mi falta de salud no lo puedo seruir, como por otros inconuenientes grandes, que se siguen de tenerlo. Suplico humildemente con todo encarecimiento, me haga esta caridad: declarando no lo hago impelido, ni forzado, sino voluntariamente, mouido de las razones dichas. Fecho en Seuilla en la Casa Grande de Nuestra Señora del Carmen a 27. de Nouiembre de 1659.

Besa a V. Illustrisima sus pies. Besa a V. Reuerendissima sus pies

Su menor Sieruo

Fr. Bernabè de las Ruelas Prouincial del Andalucia.

Latino sermone.

Illustrissime Domine. Reuerendissime Pater noster.

Prouolutus pedibus V. Illustriss. tamquam Nuncij Hispaniarum, & pedibus V. Reuerendiss. tamquam Patris mei, & Generalis meæ Religionis, & pedibus eius, ad quem prius hæc mea papyrus signata, & facta in forma peruenerit: Ego Fr. Barnaba de las Ruelas Prouincialis Ordinis Dominæ Nostræ de Carmelo Prouinciæ Bæticæ antiquæ Obseruantiæ, renuncio in manibus vestræ Illustriss. & V. Reuerendissimæ, & cuiuslibet duorum insolidum hoc officium Prouincialis, vt ipsum conferant personæ meæ aptiori, non solùm quia ob defectum salutis illi seruire non possum, sed etiam ob alia ingentia inconuenientia, quæ sequuntur ex eo, quod à me obtineatur. Oro humiliter, & innixè hanc charitatem mihi fieri: declaro me id non facere coactè, sed spontè, motumque supra dictis rationibus. Dat. Hispali, in domo magna nostræ Dominæ de Carmelo die 27. Decembris 1659.

Osculatur pedes V. Illustriss. Osculatur pedes V. Reuerendiss.

Suus minor Seruus

Fr. Barnaba de las Ruelas Prouincialis Bæticæ.

3 In Gremio Comitiorum Generalium comparuit Reu. Magister Iosephus de Velasco, & præsentauit libellum, supplicem, tenoris sequentis. *Reuerendiss. Pater. Magister Fr. Iosephus Velasco Ordinis Carmelitarum Prouinciæ Bæticæ, ac Prouincialis præfatæ Prouinciæ pro Generali Capitulo Procurator exponit dicto nomine V. Reuerendissimæ Paternitati dictū Prouincialem, ob suas habituales ægritudines, non posse [vt ipsemet Prouincialis suis literis, quas ostendit fatetur) omnimodè circa administaationem sui officij, suo muniri satisfacere: quapropter orat V. Reuerendiss. Paternitatem, vt dignetur, in negotio tanti ponderis, de opportuno remedio prouidere, eligendo nouum Prouincialem pro prædicta Prouincia, qui (vt decet] dictam, & debitam administrationem valeat exercere; &, vt dictæ nouæ electionis locus ostendatur, nomine dicti Prouincialis, cuius plenum, & speciale habet posse, vt notum est, & renunciationem signatam ab ipsomet, quā præsentat, officio Prouincialis ex nūc renū-*

A

ciat

ciat exponens, exorando V. Reuerendiss. Paternitatem, vt dignetur eam, ob dictas causas, admittere, quod petit eo meliori modo, quo regulariter, &c. Fr. Iosephus Velasco. Et Secretarius Capituli prædictorum fidem pręstat his verbis: *Ego infrascriptus Secretarius Capituli Generalis Ordinis Carmelitarum testor, & fidem facio supradictum memoriale, & renunciationem, per omnia esse consona cum suis originalibus exhibitis in dicto Capitulo, & renunciationem Reu. Adm. Mag. Barnabæ de las Ruelas fuisse acceptatam à Reuerendiss. P. Generali, & Diffinitoribus, & consequenter fuiße vnanimi omnium consensu in dicto Diffinitorio institutum in Prouincialem Bæticæ Reu. Adm. P. Magist. Eustachium Gutierrez. Actum in Comitijs Generalibus nostri Ordinis Romæ die 20. Maij 1660. Fr. Seraphinus à Iesu Maria Secretarius Capituli Generalis. Loco ✠ Sigilli.*

4 Cùm verò Reu. Adm. Ruelas ab infirmitate conualesceret, instituit in suum Procuratorem Reu. Velasco socium suum, tamquam personam sibi adhærentem, & totius erga se securitatis, & satisfactionis, ita amplè, & autenticè, vt ampliorem facultatem non posset ei tribuere. Scripsit insuper Reuerendiss. P. Generali, Reu. Adm. Procuratori Generali, & Secretario pro Prouincijs Hispaniarum literas familiares, quibus se refert ad omnia, quę Reu. Velasco faceret, quæ omnia pro factis se habiturum dicit, eo quod deferet suam omnimodam facultatem.

5 Testatur deinde Socios electos à Prouincia pro Capitulo Generali simul cum Reu. Velasco discessisse à Prouincia Romam versus, in principio Februarij 1660.

6 Post discessum prædictorum, R. Adm. Ruelas pœnitens renunciationis à se factæ, & timens adeuntes Romam illam exibituros Reuerendiss. Patri Generali, & Diffinitoribus Generalibus, & institutione noui Prouincialis habiturā effectum, causa subsistente, vel absque ea, iuxta plenariam potestatem Reuerendiss. Patri Generali, & Diffinitoribus Generalibus attributam in Constitutionibus Ordinis infra referendis, conclamauit in Prouincia suam renunciationem deferri Romam furtiuè, & dolosè, & ob id institutionem noui Prouincialis vitiandum subreptione, vel obreptione, & Prouinciam fore vexandam tumultuosis litibus.

7 Addit, quod cùm se inueniat in tempore habili ad declarandam, & retractandam renunciationem, & procuratione factam Reu. Velasco, quo ad sui Prouincialatus renunciationem, & noui Prouincialis institutionem, eo quod nusquam habuerit talem voluntatem, iurat in verbo Sacerdotis ita esse, & protestatur ita esse, & se exponere suam mentē coram Diffinitoribus Capituli Intermedij celebrati in Prouincia Bætica Dominica tertia post Pascha die 18. Aprilis 1660. vt Diffinitores certiorem faciant Reuerendiss. Patrem Generalē, qui pro sua rectitudine, decernet id, quod ex iustitia procedet, quamuis ipse Reu. Adm. Ruelas præuiderit eam declarationem, & retractationem ne posse opportunè Romam peruenire ob temporis angustias: & exquirit à Diffinitoribus dicti Capituli Intermedij recursum ad Illustrissimum Dominum Nunciū in partibus Hispaniarum, absque læsione tamen, nec in minimò, dispositionum Reuerendiss. P. Generalis post habitam legitimam horum omnium notitiam, cui debitam spondet se obedientiam pręstiturum.

8 Quæ omnia (prætermissa amplitudine narrationis, & summatim exposita) constant ex libello oblato prædicto Capitulo Intermedio, & transmisso ad Reuerendiss. P. Generalem, ab ipsomet Reu. Adm. Ruelas subscripto, & á Diffinitoribus dicti Capituli Intermedij.

9 Constant etiam ex epistolis familiaribus ab ipso Reu. Adm. Ruelas scrip-

tis,

sub Dat. Hispali die 27. Iulij 1660. in quibus
tis, & subscriptis mihi nuncupatis,
addit se nouisse suam renunciationem Romam deferri die 26. Februarij 1660.
quę omnia prę oculis habenda pro dicendis.
Igitur, in Capituli Gen. gremio die 20. Maij 1660. à Reu. Velasco Pro-
10 curatore Reu. Adm. Ruelas fuit originaliter exhibita dicta renunciatio, & ac-
ceptata, & institutus in eius locum Reu. Adm. Gutierrez, vt constat ex dictis *su-*
pra num. 3. & ex Actis Capituli Typis datis *pag.* 5. *vers. Die vigesima.*
Et quamuis huc usque non fuerit pręsentata renunciatio Reu. Admod.
11 Ruelas coram Illustriss. D. Nuncio in partibus Hispaniarum, tamen coram ipso
Illustrissimo Domino fuit exhibita retractatio renunciationis, & procurationis
die 13. Maij 1660. & obtenta manutentio in Prouincialatu in fauorem Reuer.
Admod. Ruelas.

DUBIUM DUPLEX.

12 DVo præcipuè sunt in dubium vocata: *Primum*, an subsistat renun-
ciatio facta à Reu. Adm. Ruelas, etiam facta retractatione illius?
Secundum, an ea retractatione facta, sit ritè, legitimè, & canonicè
institutus in Prouincialem Reu. Adm. Gutierrez?

PRÆMISSIONES.

13 PRimò, pręmittendum est, renunciationem, seu resignationem (quę
idem sunt, vel parum distant, teste nostro Lezana *Consult.* 20. *num.*
10. esse *voluntariam beneficij abdicationem coram legitimo Superio-*
re: vt alijs relatis, tenet Bonacina *de simonia quæst.* 4. §. 14. *in principio.* Quod
Reu. Adm. Ruelas potuerit renunciare Prouincialatui, patet. *l. si quis in conscri*
bendo. C. de Episcop. & Cleric. l. pen. C. de pact. Cap. Tui 39. *Cap. Ad Aposto-*
licam, de regul. Cap. Si de tertia, de priuileg. & tenent Tiraquel. *de iure primo-*
gen. quæst. 14 *à num.* 4. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 22. *q.* 10. Thuscus
tom. 6. *lit. R. concl.* 170. *cum seq.* Leo *in thesaur. fori Eccles. p.* 1. *cap.* 7. *num.* 49
Lezana *consul.* 7. *num.* 26. *& tom.* 2. *part.* 2. *verb. Renunciatio, num.* 3. *& verbo*
Resignatio, num. 1. Quòd ipsemet Reu. Adm. Ruelas de facto renunciauerit,
patet ex dictis *supra num.* 2. Quòd per suum legitimum Procuratorem renun-
ciauerit, constat ex dictis *supra num.* 3. Quòd eius renunciatio fuerit facta corā
legitimo Superiore, videlicet Reuerendiss. P. Generali, & Diffinitorio Genera-
li, patet ex eodem *num.* 3. ac etiam fuisse renunciationem acceptatam, ampliùs
innotescet *infra num.* 17. Quòd autem voluntariè, spontè, & non coactè renun
ciauerit, patet ex contextu ipsius renunciationis *supra num.* 2.

14 *Secundò* pręmittendum, ex Vlpiano *in l.* 1. *ff. de procurat.* esse Procura
torem eum, *qui aliena negotia mandato Domini administrat.* Et loquendo de
constituentibus Procuratores ait: *Qui rebus suis superesse, vel nolunt, vel non*
possunt, per alios possunt vel agere, vel conueniri. Cùm autem Reu. Adm. Rue-
las, ob infirmitates, non posset (vt ipse fatetur in procuratione Reu. Velasco)
interesse Capit. Gener. instituit Reu. Velasco suum procurat. Quare, id, quod
peruit fieri à principali, potuit fieri à Procuratore ab ipso instituto dato manda-
to, seu procuaatione sufficienti, siue generali, siue speciali: Reu. autem Velasco
fuit datum à Reu. Adm. Ruelas generale mandatum, cum plena, libera, & omni
moda potestate (vt ipse Reu. Adm. Ruelas fatetur *supra num.* 4.) quæ verba
æquiualent speciali mandato, casu, quo ad præsentandam renunciationem, spe
ciale requireretur mandatum, vt tenent Garcia *de benef. p.* 5. *cap.* 8. *num.* 72. ex
decis. S. Rotæ, & pluribus Doctoribus, & Lezana *tom.* 2. *p.* 2. *verb. Mandatum*
num.

num.4. *non longè á principio*. Et probatur ex Clementina 1. *de renunciat.* his verbis: *Cùm illusio, & variatio in personis Ecclesiasticis maximè sint vitandæ, præsenti constitutione sancimus, vt si quis ad cedendum Pontificali, aut alij cuilibet dignitati, vel beneficio, Procuratorem spontè, & liberè instituerit, & ipsum ignorantem postmodum duxerit quomodolibet revocandum, teneat cessio facta per eum antequam ad ipsius, vel illius (in cuius manibus cessio erat facienda) notitiam, revocatio huiusmodi sit deducta, nisi fortè per ipsos, aut alios maliciosè factum fuerit, quò minus ad eos, vel eorum alterum, ante cessionem, potuerit reuocatio peruenisse*. Per Reu. Adm. Gutierrez, neque per Reu. Velasco non fuit factum quòd reuocatio renunciationis Reu. Adm. Ruelas non pervenerit neq; ad Illustriss. Dominum Nuncium, neque ad Reuerendiss. Patrem Generalem, in quorum manibus insolidum facienda erat cessio Prouincialatus: ergo ex Clementina tenet cessio facta per Procuratorem Reu. Adm. Ruelas apud Reuerendiss. Patrem Generalem, cui insolidum nuncupata erat renunciatio, vt constat ex dictis *supra num.* 2. Præterea, non sufficit quæuis reuocationis scientia, si absit intimatio. Et renunciatio facta per Procuratorem scientem retractationem, non tamen illi intimatam, est valida, vt tenent Flaminius *lib.* 9. *q.* 25. *num.* 29. & in simili Baldus *in l.* 1. *in fin. cap. vt lite pendente, & in l. Mandatum num.* 17. Lezana *tom.* 2. *part.* 2. *verb. Renunciatio num.* 4.

15 *Tertiò* præmittendum Reuerendiss. Pat. Generalem, & Diffinitores Generales præsentatam sibi Reu. Adm. Ruelas renunciationem acceptasse. Quia, quamuis id non exprimatur expressis verbis in Actis Capituli Generalis typis datis *pag.* 5. *vers. Die vigesima*, constat tamen, tum attestatione Secretarij Capituli data *supra num.* 3. tum axiomate illo iuris, videlicet: *Medium præsumitur, probatis extremis*: scilicet principio, & fine. *l. Sicut. §. Non videtur. ff. Quibus modis pignus*. Et relatis Bartholo, Alterato, & Baldo, tenet Lezana *Consult.* 47. *num.* 37. Sed constat ex *supra dictis num.* 2. Red. Adm. Ruelas renunciasse per suum Procuratorem, & Reu. Adm. Gutierrez fuisse institutum Prouincialem, constat ex nuper citatis Actis Capituli, quæ sunt principium, & finis: ergo præsumitur medium, népe acceptatio renũciationis.

16 Deinde, patet á posteriori (vt aiunt Dialectici) cùm Capitulum Generale instituerit nouum Prouincialem, quod fieri non poterat (in hac rerum serie) nisi viduata Prouincia per renunciationem acceptatam, vt patet à simili in physicis, & naturalibus, in quibus *generatio vnius, est corruptio alterius*: ergo in nostro casu institutio noui Prouincialis fuit antiqui desitio, vel acceptatio illius renunciationis. Patet consequentia; quia vna sponsa, qualis est Prouincia Bætica respectu sui Prouincialis, non potest habere duos sponsos. *Cap.* 1. *de sponsa duorum*. Nec vnum Corpus potest habere duo Capita; esset enim monstrum, *Cap. Quoniam de offic. ordin.* Nec vna Ecclesia plures Parochos. *Cap. Cum ignores. Cap. in apibus* 7. *quæst.* 1. *Cap. Sicut vnaquæque* 22. *quæst.* 2. Et proxima præparatio ad electionem noui Prouincialis destruit antiquum: sicut in naturalibus vltima dispositio ad formam aduenientem destruit præexistentem. Sic supponitur sæpius in iure, *tit. de elect.* Et inclusio vnius est exclusio alterius, *l. Cum Prætor. ff. de iudic. l. Cum maritus, C. de Procurat. l. Quamuis, C. de pignor.* & tenent Lezana *consult.* 4. *num.* 18. Barbosa *in axiomatib. iur. axiomat.* 120. *num.* 2. Sed vltima præparatio, & vltima dispositio (in nostro casu) noui Prouincialis, est acceptatio renunciationis Prouincialatus factæ per Procuratorem Reu. Adm. Ruelas. Ergo Capitulum Generale procedens ad electionem noui Prouincialis acceptauit renunciationem Reu.

Adm. Ruelas,& supponens acceptam instituit nouum Prouincialem. Aliàs Capitulum pateretur Prouinciam Bęticam duos habere Sponsos,& duo Capita: quod nefas est dicere de Cœtu Comitiorum Generalium, in quo, præter Eminentiss. Dominum Præsidem,& Illustriss. Dominum Pro-pręsiden. interfuere grauissimi Patres. Videatur Lezan. *tom. 2. in quadam relectione num. 14. pag. mihi 663.* Hoc argumenti genere vtitur Lezana *consult. vlt. num. 36.* dũ ab absurdo probat Paulum non esse Petro ęqualem in Papatu, ne Ecclesia, quæ est vna, haberet, etiam per breue tempus, duos Summos Pontifices, duo Capita,& duos Sponsos; esset enim, si biceps, monstruosa. Tum denique; quia facto ipso, nempe institutione noui Prouincialis, non minus, quàm verbis elicitur mens capituli amouendi antiquum Prouincialem. Vt constat *l. Paulus, l. Non tantùm ff. rem ratam habere l. Quibus circa fin. de legib.* & tenent plures Doctores apud Barbosam, *in axiomatib. iur. axiomat. 93. num. 6.* Imo, plus est aliquid facto declarare, quàm verbis, ex *Cap. dilecte fili de appellat.* & pluribus Doctoribus, quos, suppressis nominibus, refert, & sequitur Lezana *consult. 42. num. 9.* Ergo, quamuis in Actis Capituli verbis non exprimatur, acceptatio renunciationis Reu. Adm. Ruelas, satis,& superabundè declaratur facto ipso, hoc est, institutione Reu. Adm. Gutierrez.

17 *Quartò* pręmittendum, Prouinciales interessentes Capitulo Generali per se ipsos,& absentes per suos socios electos à Prouincia, teneri resignare sua officia per traditionem sigilli, & litterarum, quibus fuere instituti, constat ex Ordinis *constit. p. 4. cap. 8. num. 1.* per hæc verba: *Congregatis fratribus, statim Priores Prouinciales,& etiam Locales Romanæ Curiæ,&c. ab Officijs suis absoluantur,& statim sigilla, cum litteris officiorum suorum reddere non omittant Præsidi,& Diffinitoribus. Vnde statuimus, quòd si contingerit Prouinciales remanere causa infirmitatis, vel alia legitima, habeant per suos socios, sigilla cum litteris mittere sub pœna arbitraria Diffinitorum.* Ergo, cùm Reu. Adm. Ruelas remanserit causa infirmitatis, vt constat ex Actis Capituli *pag. 5. vers. Die vigesima,* debebat mittere sigillum cũ litteris,& per socios (præter illam renunciationem per suum Procuratorem factam) resignare suum officium. Quòd autem de facto sic fuerit præstitum, constat ex Actis Capituli.

18 *Quintò*, præmittendum, quod quamuis reuocatio procurationis factę à Reu. Adm. Ruelas in fauorem Reu. Velasco fuerit pręsentata coram Illustriss. Domino Nuncio Apostolico in partibus Hispaniarum antequam renunciatio præsentaretur Reuerendis. P. Generali, & Diffinitoribus Generalibus, debebat priùs pręsentari immediato Ordinis Pręlato, videlicet Reuerendiss. P. Generali,& retractatio renunciationis non fuit nota Reuerendiss. Patri Generali, nec in Capitulo Generali, nec extra vsque ad primam diem Iulij 1660. quãdo iam à 140. diebus fuerat institutus in Prouincialem, renunciatione acceptata, Reu. Adm. Gutierrez: ergo renunciatio facta in Capitulo Generali à Reu. Velasco Procuratore Reu. Adm. Ruelas, & cui non fuit intimata retractatio suæ procurationis, fuit Valida, & sortita fuit suum effectum. Consequentia patet ex verbis Clementinæ datis *supra num. 16.* Et præterea, quia recursus Regularium ad suos legitimos altioris lineæ Superiores, qualis est Illustriss. D. Nuncius, tunc solùm est licita, legitima, & valida (vt tenet Portellus verb. *Appellatio num. 2.* quem sequitur Lezana *to. 2. p. 1. verb. Appellare num. 8.*) quando ab inferioris lineæ Superioribus iniustè grauantur; sed Reu. Adm. Ruelas non grauabatur iniustè in præsentatione suæ renunciationis coram Reuerendiss. P. Generali,& Diffinitoribus Generalibus, cùm ipse eam

eam nuncupauerit insolidum non solùm Illustriss. D. Nuncio, sed etiam Reuerendiss. P. Generali, & ex his duobus, ad quem prius peruenisset, & prius peruenit ad Reuerendiss. P. Generalem, cùm renunciatio nunquam peruenerit ad Illustriss. D. Nuncium, quamvis retractatio peruenerit: ergo Reu. Adm. Ruelas non fuit grauatus iniustè in præsentatione renunciationis coram Reuerédiss. P. Generali: ergo eius recursus ad Illustriss. D. Nuncium fuit inualidus. Respondebit forsan Reu. Adm. Ruelas, sibi tempore opportuno non innotuisse suam renunciationem deferri ad Reuerendiss. Patrem Generalem, eò quòd eam scientiam habuit tempore celebrationis dicti Capituli Intermedij celebrati die 18. Aprilis 1660. vel paulò ante, quando iam non suppetebat tempus adeundi Reuerendiss. Patrem Generalem, & ante præsentationem suæ renunciationis coram Reuerendiss. Patre Generali, & ante institutionem noui Prouincialis, sicque recurrisse ad Illustriss. Dominum Nuncium, vt pote Viciniorem. Optimè: Contra tamen ad hominem; quia ipsemet Reu. Adm. Ruelas (vt constat ex litteris citatis *supra num.* 11.) fatetur habuisse scientiam delationis suę renunciationis Romam diem 26. Februarij 1660. à qua die vsq; ad institutionem noui Prouincialis interfuerunt dies 83. (non computato die scientię, nec die institutionis noui Prouincialis, computato tamen die bissextili, seu intercalari] quibus commodissimè poterat recurrere ad Reuerendiss. Patrem Generalem, & præsentare suam retractationem: tacuit tamen, & tacens per longum tempus præsumitur renunciasse iuri suo de pręsentāda retractatione coram Reuerendiss. Patre Generali, vt ex Doctoribus, & sacra Rota tenet Mascardus *consil.* 1263. *num.* 27. quem sequitur Lezana *consult.* 39. *num.* 26. Ergo effugium istius responsionis futile est, & stetit per ipsum Reu. Adm. Ruelas, & ei imputandum; quia vel neglexit, vel contempsit, vel quia voluntariè cunctatus est, vel fortè sic consultò machinatus fuit, vt expeditiorem sterneret viam credulitati infidelitatis, quam obijcit Reuerend. Adm. Gutierrez, & Reu. Velasco. Insuper; quia ille recursus, seu appellatio ad Illustrissimum Dominum Nuncium non fuit facta tempore legitimo à notitia habita à Reu. Adm. Ruelas, quòd ipsius renunciatio deferretur Romam, vt constat ex litteris nuper citatis *sup. num.* 11. in quibus fatetur se hanc delationem nouisse die 26. Febr. 1660. Et recursus ad Illustriss. D. Nuncium contigit post celebrationem dicti Capituli Intermedij celebrati die 18. Aprilis, & intercesserunt saltem 53. dies, quibus commodè poterat adire suum Reuerendiss. Patrem Generalem: & secundùm ius, solùm assignantur, pro recursu, seu appellatione, decem dies, vt *Cap. Concertationi, Cap. Non solum, de appellat. in* 6. *Cap. Cùm dilectus fin. de electio. Cap. Significauerunt, de testib. Cap. Anteriorum* 2. *quæst.* 6. *cap. Quod ad consultandum, de sent. & re iudic.* & tenent Syluest. *in sum. verb. Appellare, quæst.* 4. Thom. Sanchez in oper. moral. *to.* 1. *lib.* 3. *cap. vnic. dub.* 32. *num.* 53. Lezana *vbi supra num.* 9. Qui quamuis loquantur de appellatione post sententiam latam, & intimatam, proportione seruata idem videtur dicendum in nostro casu de recursu post scientiam habitam.

19 Si autem Reu. Adm. Ruelas respondeat se iniustè fuisse vexatum, eò quòd furtiuè, & dolosè eius renunciatio deferebatur Romam, & poterat contingere renunciationem peruenire ad manus Reuerendissimi Patris Generalis, & Diffinitorum Generalium ante notitiam illius retractationis, & simul poterat contingere non peruenire opportuno tempore, & ideo recurrisse pro remedio ad Illustrissimum Dominum Nuncium. Contra ad hominem; quia in litteris familiaribus mihi nūcupatis citatis *sup. num.* 6. ait socios

recess-

recessisse à Prouincia simul cum Reu. Velasco in principio Februarij 1660. & ex ijsdem litteris patet *num.* 11. nouisse die 26. eiusdem mensis suam renunciationem deferri Romam: ergo poterat commodissimè suam retractationem mittere Romam, ante præsentationem illius, & institutionem noui Prouincialis, quæ contigerunt die 20. Maij 1660. & die 13. eiusdem mensis habuit recursum ad Illustriss. Dominum Nuncium, vt patet ex processu actitato coram ipso Illustriss. Domino, quando iam Socij, & Reu. Velasco potuerunt appulisse Romam, & pręsentasse renunciationē Reuerendiss. P. Generali, & suam Reuerendissimam illam acceptasse: ergo, ea acceptata [vt prudenter cogitans poterat suspicari) quorsum recurrit ad Illustriss. Dominum Nūcium quasi iniustè grauatus? Tunc enim nō grauabatur iniustè, sed iustissimè, vtpote contemptor recursus ad suum immediatum Superiorem, vel vt negligens, & cunctans in re propria. Ergo hęc responsio nullius est momenti, & illius non est habenda ratio.

20 *Sextó* præmittendum, renunciantem non habere ampliùs regressum ad ius, cui per renunciationem cessit. Constat ex *l. Quæritur. §. Si vendita. ff. de ædilit. l. Si maritus, § Si negauerit. ff. de adulter. l. 1. § Qui semel. ff. de succes. edict.* Et nenent Decius *consil.* 389. Roman. *cons.* 369. *num.* 16. Afflict. *decis.* 220. *num.* 19. Iason *cons.* 133. *in princ. lib.* 4. Craueta *cons.* 74. *num.* 4. *& cons.* 116. *num.* 6. *& cons.* 191. *num.* 3. quos citat, & sequitur Lezana *consult.* 7. *num.* 27. *& to.* 2. *part.* 2. *verb. Renunciatio num.* 10. Nec obstat, quòd *Cap. Si Episcopus de Parochijs,* desumptum ex Concilio Africano, habeatur, quod cùm quidam Episcopus fuisset factus hęreticus Donatista, & ob id priuatus, & alius Episcopus suffectus in eius locum; prior Episcopus reductus ad meliorem frugem, & ad fidem, obtinuit dispensationem, vt reacciperet Dignitatem, & Episcopatus diuideretur. Ergo idem poterit dici in nostro casu. Hoc (inquam) non obstat; quia (vt benè notat facilè Princeps quæstionum Regularium resolutor noster Lezana *consult* 42. *num.* 27. id factum fuit propter multitudinem sequentium Episcopum depositum, quòd est contra Reu. Adm. Ruelas, & in fauorem Reu. Adm. Gutierrez, vt constabit ex dicendis *infra num.* 29. Præterea, Reu. Adm. Ruelas nunc non obtinet dispensationē suæ renunciationis acceptatæ, nec potest concedi (salua auctoritate Sedis Apostolicæ) in præiudicium Capituli Generalis instituentis Prouincialem, nec instituti in Provincialem ritè, legitimè, & canonicè, & habentis possessionem in ferè tota Prouincia, nec Prouincia potest diuidi, dicente Gloss. in casu illo Episcopi: *Hodie non fieret talis diuisio.* Et reddit rationem; *Non enim continet ius hoc caput.* Ergo ea instantia tam longè abest vt opituletur Reu. Adm. Ruelas, vt ei potiùs aduersetur.

21 *Septimò* præmittendum, Reuerendiss. Patrem Generalem, & Diffinitores Generales habere plenariam potestatem, circa mutandos, & instituendos Priores Prouinciales, vt constat ex Ordinis *constit. part* 4. *cap.* 7. *num.* 1. per hęc verba: *Habito Priore Generali, in officioque confirmato* [cuius confirmatio supponitur iam facta in pręcedenti *cap.* 6 *num* 3.] *ipse, si præsens fuerit, vel Vicarius electus, in eius absentia, cum Diffinitoribus de instituendis, & mutandis Prioribus Prouincialibus plenariam habeant potestatem, prout eis videbitur.* Et in constitutione *eadem p.* 8. *cap.* 8. *num.* 1. hæc habentur verba: *Quibus peractis, Præsidens vocet instituendos Prouinciales proprijs nominibus, qui vocati coram ipso genua flectant, & singulis tradendo sigillum Prouincialatus, dicat: Auctoritate nostra, &c. Et cum humilitate, & reuerentia sigillum accipiant, &c.* Et pergit constitutio *num.* 3. *Quibus omnibus institutis*

iutis

tutis dentur eis literæ testimoniales, &c. En conceptis verbis expressam potestatem plenariam amouendi, & instituendi omnes Prouinciales, non solum renunciantes sponte, sed etiam non renunciantes nisi per socios per traditionem Sigilli, & Literarum. Et etiam posse id fieri non alia ratione, nisi quia ita eis videbitur. En etiam formam instituendi Prouinciales. Quod totum de facto præstitum est in Gremio Capituli erga Reu. Adm. Ruelas eum amouendo à Prouincialatu, iuxta dicta *supra num.* 18. & erga nouiter institutum Reu. Adm. Gutierrez, quamuis non in ipsius persona (erat enim absens) sed in alterius persona, nomine illius accedente, & eum repręsentante, iuxta stylum Ordinis, vt constat ex Actis Capituli.

22 *Octauò* denique præmittendũ est (ex veriori mihi Philosophia, & Theologia, tum Scholastica, tum præsertim Morali) vnius effectus posse dari plures causas adæquatas, maximè motiuas, & finales (quæ quamuis aliquando simul esse contingat, id fit per accidens, & contingenter, & quælibet ita influit in effectum, vt eius influxus omnino sit independens ab influxu alterius causæ motiuæ) & operantem non teneri eas omnes propalare, sed casu, quo vellit, vel teneatur aliquã exprimere, sufficere vnam in medium proferre subticendo aliam, vel alias, non negando, vel affirmando adesse alias, vel non adesse, præter expressam. Exemplo sit [prætermissis nunc rationibus Scholasticis] ipse Deus, qui cum vellet reprobare Saulem, & è culmine Regni deijcere, ad illudque erigere Dauidem, dixit ad Samuelem *lib.* 1. *Reg. c.* 16. *à num* 3. *Imple cornũ tuum oleo, & veni, & mittam te ad Isai Bethleemitem, prouidi enim in filijs eius Regem mihi.* Et cùm Samuel timeret Saulẽ dicens: *Audiet enim Saul, & interficiet me*: Respondit Dominus, & dixit: *Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: Ad immolandũ Domino veni.* Et Samueli ingredienti Beth'eem obuiauerunt eiues interrogantes: *Pacificus ne est ingressus tuus? Et ait, Pacificus, ad immolandum Domino veni.* En duas causas adæquatas morales motiuas aduentus Samuelis, videlicet immolandi gratia, & gratia vngendi in Regẽ filium Isai, ita, vt non futura immolatione, veniret vnctionis gratia: & non futura vnctione, veniret gratia immolationis: & tacita causa vnctionis, protulit causam immolationis. In hoc autem euentu mendacium non fuit commissum, cùm istius rei Deus ipse fuerit auctor, & cùm sit ipsissima veritas, & bonitas fallere non potest, nec falli, cùm sit ipsissima scientia. Simili modo in nostro casu, licet philosophari, videlicet Capitulum Generale plures habuisse causas adæquatas acceptandi renunciationem Reu. Adm. Ruelas, & amouendi ipsum ad Prouincialatũ, scilicet, ob infirmitates ipsius, ob alia inconueniencia, quæ sequebantur ex eo, quòd ipse Prouincialatum obtineret (verba sunt ipsius Reu. Adm. Ruelas expressa in renunciatione, vt constat ex *supradictis num.* 2.) insuper potuit Capitulum Generale ipsum amouere ob resignationem à socijs factam (eo absente) per traditionem sigilli, & literarum suæ institutionis in Prouincialem, vt constat ex Constit. citata *supra num.* 18. Vel denique ab causas Capitulo benè visas, vt constat ex Constit. citata *supra nu.* 21. Potuit ergo Capitulum ex his omnibus causis adæquatis, vel quauis earum moueri ad amouendum à Prouincialatu Reu. Adm. Ruelas, & ad instituendũ nouum Prouincialem, vtendo plenaria prædicta sua potestate. Et quamuis in Actis Capituli typis datis *pag.* 5. *vers. Die vigesima,* solùm exprimatur causa his verbis: *Quia Prouincialis Bæticæ, ob infirmitates, per suum socium, officio suo renũciauit*: tamen Capitulum nec affirmat, nec negat, sed subtacet alias causas, & exprimit solam sibi benè visam, tamquam magis congruentem honori ipsius Reu. adm. Ruelas, à prætermissione enim aliarum causarum adæquatarum non valet argumentum: ergo *Capitulum non habuit, nec nouit alias causas adæ-*

qua-

quatas, præter infirmitates, ad acceptandam renunciationem Reu. Adm. Ruelas, & ad institutionem noui Prouincialis: est enim argumentum negatiuum quod etiam fieri potuit, & non valeret contra verba Dei in ore Samuelis. Nouit enim Capitulum alias causas, etiam ex papyro renunciationis subsignato manu ipsius Reuer. Adm. Ruelas, & solùm expresit causam, *ob infirmitates*, consulens honori renunciantis; si enim dixisset Capitulū: *Ob inconuenientia ingentia, quæ sequuntur ex eo, quod Prouincialatum obtineat*, fortè Capitulum exposuisset iacturæ honorem renunciantis, & dedisset ansam in dedecus Reu. Adm. Ruelas, ne autem, nec in minimo læderetur, qua pollet, fama, prudentissimè tacita causa inconuenientium, expresit, *causam infirmitatum*, tamquam Reu. Adm. Ruelas magis decoram. His præmissis.

RESOLVTIO PRIMI DVBII.

23 Facilis est iam resolutio primi dubij propositi *supra num.* 14. Respondeo enim, renunciationē Reu. Adm. Ruelas subsistere, etiam facta retractatione illius. *Primò:* quia si renūciatio Reu. Adm Ruelas non subsisteret, id esset, vel quia ipse non potuit renunciare, vel de facto non renunciauit, vel quia non spontè, sed coactè renunciauit, sed potuisse renunciare, & renunciasse, & spontè, & non coactè, constat ex dictis *supra num.* 2. *&* 15. Vel, quia non constituit specialem Procuratorem ad renunciandum, sed ad id sufficere procurationem à se datam, constat ex dictis supra *num.* 16. & constabit ampliùs ex dicendis *infra num.* 33. Vel, quia Reuerendiss. Pater Generalis, & Diffinitores Generales non acceptarunt eius renunciationem, sed eam acceptasse constat ex dictis *supra num.* 3. *&* 17. Vel, quia ipsemet præsens Capitulo Generali non teneretur resignare suum officium, vel absens per socios; sed constat resignasse per socios, eò quòd ipse abesset, ex dictis *supra num.* 18. Vel, quia ipse Reu. Adm. Ruelas ante præsentationem suę renunciationis coram Reuerendiss. Pat. Generali, & Diffinitoribus Generalibus retractauit renunciationem, & procurationem datam Reu. Velasco; sed id non obstare ostensum est *supra num.* 19. & ampliùs ostendetur *infra nu.* 35. Vel, quia Capitulum non habuit causas plures ad renunciationem acceptandá, & ad institutionem noui Prouincialis; sed eas habuisse constat ex dictis *supra num.* 22. & ampliùs innotescent *infra num.* 35. Ergo liquidò constat eam renunciationem subsistere, & illi non dari ingressum ad ius, cui per renunciationem cessit, vt constat ex dictis *supra num.* 20. & pręter ibi dicta; quia Renuncians ad effectum repetendi rem cui renunciauit, habetur pro mortuo. *S. Rota nouiss. decis.* 28 *de proc.* Gonzalez *super reg.* 8. *Cancel.* §. 5. *proœm. nu.* 24. Lezana *in consul. Appannag. dub.* 5. *num.* 123 Adeo vt Papa Papatui renuncians, pro mortuo habeatur, pariaque sunt Papam obijsse, vel Papam renunciasse. Vt in specie probatur *in Clement. Ne Romani.* §. *Sanè*, iuncta Glossa *verb. Moriente de elect.* & relatis Felino, Bartolo, & Gonzalez tenet nuper citatus Lezana: Ergo Reu. Adm. Ruelas non est audiendus si in oppositum institerit.

24 *Secundò* probo idem intentum dilemate. Sic argumentor. Vel Reu. Adm Ruelas non voluit efficaciter suam renunciationem sortiri effectum, vel voluit efficaciter habere effectū; inter hæc enim duo extrema, vtpote contradictoriè opposita, sicut esse, & non esse, don datur medium. Tunc sic: si non voluit efficaciter suam renunciationem sortiri effectū: Ergo ipsius renunciatio fuit captiosa, illusoria, & redolens Pharisaicam hypocresim, & ipse Reu. Adm. Ruelas factus est velut æs sonans, aut Cymbalum tinniens, & vt sepulchrum deal-

dealbatum, foris pulchrum, & intus continens fœtidam ambitionis putredinem: & (in malam partem) similis factus est animalibus Ezechielis, quæ *cap.* 1. *num.* 24. emittebant *QVASI sonum sublimis Dei:* de quibus *num* 8 dicitur: *Et manus hominis sub pennis eorum.* Nam cum renunciatione apparet, resonabat terra in voces eius renunciantis, *QUASI* consulentis Prouinciæ, & se reputantis minùs capacem, & cupientis apriorẽ Prouincialem, &. vt *QVASI* præbentis Prælatis egregium exemplum [de hac dictione *QVASI* videatur Lezana *consult.* 45. *num.* 28. vbi dicit aliquando significare impropriectatem, & fictionem) re vera tamen (si fas esset hunc deducere sensum, facta hypothesi huius partis Dilematis] *sub pœnis infirmitatis latabant hominis manus mordicus apprehendentis Prouincialatũ, ne elaberetur.* Hanc partem dilematis satis euidenter suadent, tùm retractatio renunciationis: tum verba ipsius dicẽtis renunciare, si forté moreretur in ea infirmitate. *QVASI*, intercedente morte foret renunciatio necessaria, tùm *MAXIME* illius iuramentum emissum in verbo Sacerdotis relatum *supra num.* 9. quo mediante affirmat, se numquam habuisse voluntatem renunciandi, nec postulandi nouum Prouincialem. Tamen, quia non intendo hanc partem Dilematis, dico nefas esse nedum omnia ista, verùm nec singula, vel leviter suspicari de viro Religione conspicuo, doctrina celeberrimo, modestia egregio, moribusq; præclaro: ergo necessario dicendum est Reu. Adm. Ruelas efficaciter voluisse suam renunciationem habere effectum, quę est altera nostri Dilematis pars. Tunc sic: Omnis, qui efficaciter vult aliquem effectum collectiuè, adæquatè, seu accumulatiuè dependentem ab ipsomet volente, & ab alio, efficaciter etiã vult eundem effectum prout distributiuè, inadęquatè, seu priuatiuè pendentem ab ipsomet volente, & ab alio; sed Reu. Adm Ruelas collectiuè, adæquatè, seu accumulatiuè vult efficaciter effectum suæ renunciationis pendentem à seipso renunciante, & ab illam acceptaturo: ergo etiam vult efficaciter effectum suæ renunciationis prout distributiuè, inadæquatè, & priuatiuè pendentem à se ipso renunciante, & ab acceptaturo renunciationem. Discursus (vtpote in figura, & modo) est legitimus. Maior patet à simili eius, qui efficaciter vult inire Matrimonium, qui non solùm vult collectiuè, adæquatè, seu accumulatiuè suum, & alterius contrahentis consensum; sed etiam efficaciter vult distributiuè, inadæquatè, seu priuatiuè præstari consensum à se tamquam á viro, & alterius Contrahentis tamquam à fœmina, & vtriusq; consensum expressum per verba, vel signa significantia traditionem de præsenti Corporis, viri, & Corporis fœminę, cùm Matrimonium essentialiter sit coniunctio maris, & fœminę, & contractus mutuus onerosus vltro, citroque obligans. Minor est perspicua, cùm supponatur in hac Dilematis parte, aliàs relaberetur (quod absit] in aliam Dilematis partem. Consequentia est legitima: vel dicat ipse Reu. Adm. Ruelas in quo peccet, cùm in hoc syllogismo reperiatur medium, quod non intrat in consequens, & duæ extremitates, quarum maior de minori enunciatur in consequenti. Tunc sic; sed non potest Reu. Adm Ruelas velle efficaciter, collectiuè, adæquaté, seu accumulatiuè effectum suæ renunciationis pendentem à se, & ab eam acceptaturo, quin etiam efficaciter vellit effectum renunciationis prout distributiuè, inadæquatè, seu priuatiuè pendentem à se prout renunciante, & ab alio prout acceptaturo, nisi spolietur Prouincialatu; & viduata Prouincia tradatur alteri Sponso [vt ipse in sua renunciatione *supra. num.* 2. concupiscit) ergo clarè sequitur Reu. Adm. Ruales efficaciter voluisse suam renunciationem sortiri adæquatum effectum. Suadent hanc partem Dilematis, Reu. Adm. Ruelas renunciasse Prouincialatui constitutum in grauissima infirmitate, quo tempore quisque pręsumitur serio loqui, &

iuxta

iuxta cordis,& conscientię dictamen,cùm infirmitas sit quędā spiritualis tortura ad viritatem eruendā, vt docent Farinacius *de testib quæst*.80.*n*.108.Mascardus *de probat. concl.* 899. *& concl.*174 *num*.1.Lezana *consult*. 55.*num*.7. *MAXIME*; quia Reu. Adm. Ruelas conualescens (id est vltimis diebus Ianuarij 1660) quando iam à multo tempore[id est à die 27.Nouembris 1659. qua die aptauit renunciationem)instrumenta istius spiritualis torturæ semota erant, instituit suum Procuratorem Reu. Velasco ad renunciandum pro se in Capitulo Generali. Tunc sic; sed habito adęquato, & totali effectu renunciationis (siue sit habitus per Procuratorem, siue per Socios,iuxta pręscriptum Constitutionis citatę *supra num*.18.)nullus relinquitur locus Reu.Adm. Ruelas ad recuperandum Ius, cui cessit per Procuratorem,vel per Socios[vt constat ex dictis *supra num*. 20 & ex verbis Clementinæ datis *supra num*. 26.) Quorsum, ergo exit in fines orbis terræ sonus eius? Quorsum implentur Aulę nedum Religionis , verùm & Illustrissimi Domini Nuncij , & ipsius Regis Catholici, conclamationibus, & vocibus, conquærentis se de infidelitate sibi irrogata, & furtiua, & dolosa suæ renunciationis delatione Romam, cuius vocibus, & quærimonijs cæli,& terra turbantur? Sibimet imputet, qui renunciationis à se factæ sponté, & non coacté, immaturè pęnituit, cùm potuisset opportunè pænitere, iuxta dicta *supra num*.19.*post medium*. Sibimet adscribat qui, pręter infirmitates, allegauit ingentia inconuenientia sequi, si obtineret Prouincialatum, quæ ab ipsomet asserta Capitulum Generale non poterat sustinere, fidem illi prębendo, vtpotè testi contra seipsum Conquęratur de Religione, quę præscribit Prouincialem absentem debere per Socios resignare officium per traditionem Sigilli, & Literarum: quęque tribuit plenariam potestatem Capitulo Generali,ob causas sibi benè visas,amouendi, & instituendi Prouinciales. Si ipsemet Reu. Adm. Ruelas per 83. dies neglexit intimare Capitulo, & suo Procuratori retractationem suæ renunciationis (vt constat ex dictis *supra num*. 19.) & non cognita retractatione, nota tamen renunciatione, Capitulum acceptauit renunciationem, & instituit(vt potuit] nouum Prouincialem, quo pacto potest iustè conquęri? Conquæratur de seipso, qui (vt verbis vtar mitibus sancti Ambrosij *lib*. 4. *in Lucam*) *Mobilitate potius animi, quàm prauitate peccauit*. An ne,propter ipsius volubilitatem, erit Prouincia litibus vexanda? Absit. Eligat nunc Reu. Adm. Ruelas vtram liberit Dilematis partem: Primam quidem, vtpotè indecoram, respuet, & meritò: ergo tenere debet, quam intendimus, secundam. Sed tamen forsan poterit respondere Reu. Adm. Ruelas se facilè eximi ab electione vtriusq; partis Dilematis,si dicat se tempore renunciationis, vi grauissimę infirmitatis delirium fuisse passum, & renunciationem ob id non debere sortiri effectum, cùm eam aptauerit, & subsignauerit sui non compos. Contra tamen *primò*; quia in institutione Reu. Velasco in Procuratorem, & in libello illo exhibito in Capitulo Intermedio,& postea transmisso ad Reuerendiss. Patrem Generalem, in retractatione renunciationis,& procurationis facta coram Illustriss. Domino Nuncio,& in literis directis Reuerendiss. Patri,& alijs mihi nuncupatis,& millies, Reu. Adm. Ruelas attestatur se renunciasse, & nunquam meminit huius delirij passi tempore renunciationis:ergo ea attestatio facta tempore sanæ mētis suadet renunciationem fuisse etiam factam absque delirio,& delirium passum tempore renunciationis esse inuentum ad infirmandam renunciationem, & ad euadendam defectionem in probanda furtiua, & dolosa delatione renūciationis Romam, & corrobarandam retractationem renunciationis, vt sic se ostenderet liberum pœnitùs ab omni incommodo. Et certé, si Reu. Adm. Ruelas plenè posset probare delirium tempore renunciationis,dirimeret omnem

nem litem. Quod autem id non possit probare, satis apertè demonstrant verba ipsius transcripta ex literis ad me missis sub Dat. Hispali die 27. Iulij 1660 idiomate Hispano sic dicentis: *Fue Dios seruido darme vna tan aguda, y maliciosa enfermedad, que me desafuciaron en seis horas los Medicos, y tal, que oy me duran algunos resauios de ella. Confesséme generalmente, y desapassioneme de lo que tenia ad vsum, como debia, y me parecio era mejor morir renunciando el Oficio, que no en èl, no porq̃ los Prouinciales no se saluen, si porque dize mayor perfeccion, y exterior exemplo. Esta renunciacion la escribio mi Confessor, a quien se la entreguè, &c.* Latinè sic: *Placuit Deo dare mihi infirmitatem ita acutam, & malignam, vt intra sex horas Medici desperarent de mea vita, & hucusque patior reliquias illius. Feci generalem confessionem, & reuelaui bona ad vsum mihi concessa, vt par erat. Et visum est mihi esse melius mori absque Officio, quàm cum illo: non quia Prouinciales non saluentur, sed quia est maior perfectio, & cedit in externum exemplum. Hanc renunciationẽ scripsit meus Confessarius, cui illam tradidi, &c.* En Reu. Adm. Ruelas nullam de delirio facientem mentionem tempore renunciationis. En Confessionem facientem generalem tempore asserti delirij. *Secundò*, dato, & nullatenus concesso, imo negato, quòd delirium sit passus Reu. Adm. Ruelas tempore, quo aptauit, & subsignauit renunciationem: rogo, an istud delirium durauerit pro solo illo renunciationis actu: an illud fuerit passus in alijs actibus? (Hìc necessarij forent Notarius, & testes, vt responsiones exciperentur authẽticè, ne possent retractari. Necessarius etiam esset *intellectus bonus*, quem Deus largitur *facientibus* Religionis negotium, etiam cùm de delirijs agunt, cùm impleant illud *Prouerb. cap. 26. num. 4, & 5.*) Si dicatur primum, videlicet, delirium solùm durasse pro tempore, quo Reu. Adm. Ruelas aptauit, & subsignauit renunciationem, dicet quid moraliter incredibile, & moraliter improbabile, quamuis physicè sic contigerit. Ratio est, quia quando quis cordatus, & prudens, & timoratæ conscientiæ (qualis est Reu. Adm. Ruelas) infirmitate grauissima correptus, delirium patitur, & vi delirij petit Sacramenta Ecclesiæ, & in cæteris videtur, & verè est sui compos, nemo dicet petitionem Sacramentorum fuisse delirium; temerè enim id diceretur, & esset temerarium, imo contra iustitiam, negare Sacramenta homini huic extremè indigenti, & ea postulanti: eò quòd ex nulla circumstantia (vt suppono) deprehenderetur illius delirium; sed Reu. Adm. Ruelas tempore suæ renunciationis, & in nullo alio (vt suppono) passus est delirium: ergo ex nullo capite poterit probare delirium pro illo tempore; imo susceptio Sacramenti Pœnitentiæ eo tẽpore susceptæ suadet ipsum fuisse suum compotem. Quod si Reu. Adm. Ruelas asserat deliriũ pro eo tẽpore, debet illud ex alijs actibus probare per testes legitimos; nam ipsi, vtpote parti, de cuius interesse agitur, & in præiudicium, non solùm Capituli Generalis instruentis nouum Prouincialem, & ipsius nouiter instituti Prouincialis, non potest, nec debet fides dari. Ergò, cùm eodem tempore Cõfessus fuerit generaliter [vt constat ex ipsius literis supra relatis] & fortè susceperit pro Viatico Eucharistiam, ea Sacramenta non fuerunt ei temerè, & sacrilegè ministrata; nam euidentia morali fuissent exposita nullitati, vel irreuerentiæ, quod saltem de reuerentia erga Venerabilem Eucharistiam certũ est, quæ in sui susceptione conditionem respuit, quamuis illam *si capax es*, possit admittere Sacramentum Pœnitentiæ, ne exponatur nullitati, vel irreuerentiæ: exponere autem Sacramenta, morali euidentia, nullitati, vel irreuerentiæ, non præsumitur, nisi probetur, de Ecclesiæ Ministris. Reu. ergo Adm. Ruelas fatẽs se eo tempore renunciationis suscepisse Sacramentum Pœnitentiæ simplici-

ter,& absolutè; consequenter debet fateri se renunciationem aptasse, & subsignasse sub eadem capacitate,& absque delirio, qua suscepit Pœnitentiæ Sacramentum,& Eucharistiam,si illam suscepit. Insuper Reu. Adm.Ruelas incumbit onus probandi sibi fuisse adhibita remedia: verb.g.decapillationem,fomẽta,& alia id genus,vt ad se reuersus aptus fieret ad Sacramenta suscipienda: ergo si illi non fuerunt applicata huiusmodi remedia, & suscepit saltem Sacramentum Pœnitentiæ tempore,quo aptauit, & subsignauit renunciationem, dicendum est delirium solùm fuisse præcisè, pro tempore, quo aptauit,& subsignauit renunciationem,quod impugnatum est supra.Si verò Reu. Adm.Ruelas dicat fuisse passum delirium in alijs actibus,præter actum renunciationis, rursus eum rogabo,an delirium durauerit continuatè, vel habuerit lucida interualla? Si continuatè perseuerauit delirium, incidit in illud dictũ inconueniens de Sacramentorum susceptione in delirio. Si verò delirium non fuit cõtinuatum,sed discontinuatum per lucida interualla, rursus rogabo, an huiusmodi interualla lucida durauerint per breue,vel per multum tempus? Si per breue, non est cur non comprehendatur illa Sacramentorum susceptio,& consequenter renunciatio: sed non comprehenditur susceptio Sacramentorum,vt constat ex dictis: ergo neque renunciatio facta ipso tempore. Si interualla durarũt per multum tempus,saltem dicet Reu. Adm. Ruelas durasse,non solùm vsque ad Capitulum illud Intermedium,in quo exhibuit illum libellum supra memoratum,& postea transmissum ad Reuerendiss. Patrem Generalem, & vsque ad literas nuncupatas eidem Reuerendiss. Patri,& mihi, in quibus omnibus fatetur se renunciasse absque mentione delirij, sed etiam poterit dicere durare lucida interualla vsque ad non parendum nouo Prouinciali,in cuius institutionis literis prçcipitur sub rebellium pœna, vt ipsum agnoscant,& recipiant in Prouincialem,& ei pareant,& obediant,& durare etiam vt non admittat decreta Reuerendiss.Patris,& Consilij Assistentium ter repetita, & denique durare,vt non reuereatur Decretum Sacrę Congregationis Dominorum Cardinalium Præpositorum negotijs Episcoporum,& Regularium,si fortè confirmet renunciationem ipsius Reu. Adm.Ruelas,& electionem factam â Capitulo Reuer. Adm.Gutierrez, & similiter vsque ad confirmationem Sanctissimi Domini, si fortè dignetur ea omnia confirmare,& in his lucidis interuallis habebit Reu. Adm.Ruelas excusationem vniuersalem ad quæcumque voluerit, & quisque poterit dicere quod ipse ait *supra hoc ipso num.* hucusque pati reliquias infirmitatis; intelligendo delirium. Quo ergo modo poterit sustineri in Prouincialem homo, qui patitur lucida interualla? Ergo, cùm hæc omnia sint ridicula,& indigna hominis vel mediocriter prudentis, irridenda sunt,casu, quo asseratur hoc delirium,& admittenda illius impugnatio solùm in animi gratiam. Reuertamur nunc ad seriam loquutionem.

RESOLVTIO SECVNDI DVBII.

25 AD secundum dubium propositum *supra num.* 14 respondeo, etiam facta retractatione à R. A. Ruelas, R. A. Gutierrez fuisse ritè, legitimè, & canonicé electum in Prouincialé dictæ Bæticę Prouincię.

Primò: quia quando res habet effectum irreuocabilem, non potest restitui in illum statum,quem habebat ante talem effectũ: sed renunciatio Reu. Adm. Ruelas,adęquatè considerata,habuit effectum irreuocabilem: ergo non potest restitui ad statum,quem habebat ante renunciationem (loquor de vtraq; renunciatione facta per Procuratorem,& per Socios.) Maior, illam consideranti,

ti, patebit. Minorem probo; quia, posita acceptatione renunciationis Reuer. Amd. Ruelas, & confirmata institutione noui Prouincialis, inter ipsum nouiter institutum Prouincialem, & Prouinciam prius viduatam intercessit aliquale spirituale, & indissolubile vinculum Matrimonij [*saltem pro tempore, quo nouus Prouincialis non amoueatur à Prouincialatu, & proportione seruata.*] Ergo cùm nouus Prouincialis fuerit institutus ab habentibus potestatem, & polleat qualitatibus requisitis, & in eius institutione fuerit seruata debita forma, & per consequens sit institutu rite, legitimé, & canonicè in locum renunciantis, vel amoti Reu. Adm. Ruelas, renunciatio ipsius Adm. Reu. Ruelas, quantùm est ex se, & quantùm est ex parte instituentium, & forma instituendi, habuit effectum irreuocabilem: ergo, non solum subsistit renunciatio Reu. Adm. Ruelas, sed subsistit etiam institutio Reu. Adm. Gutierrez. Consultò dixi: *Saltem pro tempore, quo nouus Prouincialis non amoueatur à Prouincialatu, & proportione seruata*: quia certi sumus iure esse beneficia Regularia, & ipsorum dignitates, & officia, etiam electiua, posse à Superioribus (subsistente iusta, & rationabili causa) auferri ab ijs, qui illa obtinent, in quo à beneficijs sæcularibus discriminantur; nam sæcularia beneficia essentialiter, & ex ipsorũ natura sunt perpetua, & in collatione illorum contrahitur spirituale Matrimonium inter Beneficiatum, & Ecclesiam, vt constat ex *Cap. Sanctorum 70. dist. Cap. Penulti. de Clerico Ægrotante. Cap. Si gratiose de rescrip. Cap. Inter de translat. Epis.* Et tenet Abbas *Cap 1. de concess. Præbend. num* 4. Gonçalez *sup. regul.* 8. *Cancel. Glossa* 5. *num* 11. *&* 12. apud Lezanam *Consult.* 41. *num.* 33. Beneficia autem, dignitates, & officia Regularium (vt notant Sigismund. de Bononia *de electio. Prælat. Ragul. dub* 49 *num* 4. *&* 6. *& dub* 102. *num.* 6. Lauorius *Variar. lucubra. to.* 1. *tit.* 4. *cap.* 23 Barbosa *in collectan. DD. in Cap. Qualiter, & quando num.* 18 *& in decis. lib.* 1. *vot.* 4. *num* 46 Iosephus de Sancta Maria *en el tribunal de Religiosos tract.* 5. *cap.* 6. §. 1. Rodriguez *to.* 2. *qq. Regul. q.* 25. *art.* 10. quos citat, & sequitur Lezana *consult.* 42. *n.* 18.) sunt ex natura sua amobilia, & manualia, & Prælati Regulares (subsistente iusta, & rationabili causa) possunt amouere suos Regulares à beneficijs, dignitatibus, & officijs. Probatur ex Innocentio III. *Cap. Qualiter, & quando* 2. *de accusat.* vbi Pontifex, dum loquitur de officijs Regularium, hæc habet verba: *Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò possidenda, tamquã in sua sibi vita locetur, sed, cùm oportuerit amoueri, sine contradictione aliqua reuocetur.* Ergo, cùm hic, & nunc non oporteat amoueri à Prouincialatu Reu. Adm. Gutierrez, nec ad eum amouendum adsit iusta, nec rationabilis causa, & contraxerit per suam institutionem confirmatam aliquale Vinculum indissolubile (proportione dicta] cum Prouincia: renunciatio Reu. Adm. Ruelas habuit adæquatum effectum, & non potest restitui ad statum, quem habebat ante renunciationem.

27 *Secundò*, electio ritè, legitimè, & canonicè facta non debet retractari. *Cap. Factum legitimè de regul. iur. in* 6. Et factum legitimè nullam pœnam meretur. *l. Nemo damnum. ff. de iureiur. l. Qui seruum ff. de verb. signif.* & ex Sancto Augustino apud Marcellinum: *Mutari non debet, quod rectè factũ est.* Si autem mutaretur electio Reu. Adm. Gutierrez fieret contra ius sibi quæsitum, cui, eò quod est legitimè institutus, debita est conseruatio, *Cap. fin. de elect. Cap. Postquam eodem tit.* & conseruatio non est liberalis, & gratiosa. *l. rem legatam. ff. de adm leg.* quia non exhibet se benefactorem, qui exhibet debitum. *l. si sermo, §* 1. *ff. de reb instit. l. Proximè, ff. rit. nupt.* sed omnia hæc concurrerunt in institutione Reu. Adm. Gutierrez: ergo ipsius institutio debet

debet subsistere. Præsertim; quia per confirmationem adquisiuit ius in re. Videatur Lezana *to. 2. in quadam relectione num. 36. pag. mihi 664.*

28 *Tertio*, quia institutio Reu. Adm. Gutierrez in Prouincialem non fuit conditionata, nec limitata pro tempore, quo Reu. Adm. Ruelas per conualescentiã fieret aptior; nec dum non cessarent inconuenientia ab ipso asserta *supra num. 2.* nec sub conditione, si Reu. Adm. Ruelas pateretur delirium; sed omnino absoluta; quia electiones conditionatæ reprobantur à iure *Cap. in electionibus in 6.* & tenent, pluribus relatis, Barbosa *ad hunc textum*, Syluester *in Sum. verb. Electio 2. num. 6.* Lezana in fere simili casu *consult. 42. num. 9.* Ergo, cùm electio Reu. Adm. Gutierrez fuerit absolutè facta, & in persona prædita requisitis qualitatibus, & ab habentibus plenariam potestatem amouendi, & instituendi Prouinciales, & fuerit seruata debita forma (vt constat ex Constitutionibus Ordinis, quarũ verba data sunt *supra num. 21.*) illa debet subsistere contra Reu. Adm. Ruelas amotum, tum vi suæ renunciationis factæ per suum Procuratorem, tum vi resignationis Prouincialatus facta per Socios in Capitulo Generali, iuxta præscriptum constitutionis citatæ *supra num. 18.* tum vi institutionis Reu. Adm. Gutierrez, iuxta dicta *supra num. 17.*

29 *Quartò* probatur resolutio vtriusque dubij propositi *supra num. 14.* à congruentia. Quia ille debet deponi ab officio, qui ferè ab omni Prouincia repellitur: & ille in Prouincialatu tutari, qui ferè à tota Prouincia admittitur; sed Reu. Adm. Ruelas, ex triginta & vno Conuentibus, quibus (computatis Monialium Conuentibus) coalescit Prouincia Bætica, solùm admittitur (rebus prout nunc stantibus) à tribus Conuentibus, & Reu. Adm. Gutierrez admittitur (rebus etiam prout nunc contingentibus) à viginti & octo Conuentibus: ergo Reu. Adm. Ruelas debet declarari amotus à Prouincialatu, & in eo tutari Reu. Adm. Gutierrez. Maior patet; quia obseruantia Regularis, & pax communis Prouinciæ maximè confouetur ex beneuolentia subditorum erga Prælatum, & è contra patitur iacturam à Prælato exoso: ergo, vt Regularis obseruantia, & pax stabilita maneat in Prouincia Bætica, debet declarari amotus Reu. Adm. Ruelas, & declarari ritè, & legitimè, ac canonicè electus Reu. Adm. Gutierrez.

OBIECTIONES CONTRA RESOLVTIONES solumntur.

30 PRIMO, potest obijci cõtra suprascriptas resolutiones, renunciationẽ Reu. Adm. Ruelas furtiuè, & dolosè fuisse Romam delatam, & præsentatã Reuerendiss. Patri Generali, & Diffinitoribus Generalibus.

31 Respodeo ex dictis *supra num. 19.* hanc obiectionem esse futilem, & nullius momenti. Nunc autem probo (me iudice) euidenter. *Primò*, quia cùm sit vulgare Iuristarum axioma: *aientis est probare:* & cùm renunciationem furtiuè, & dolosè deferri Romam sit quid facti debet probari ab assertore furtiuæ, & dolosæ delationis, vt constat, *l. in bello, §. facta, ff. de capt. l. 1. C. de probat. l. De quibus, ff. de legib.* & tenent Moronus *in Responsionib. respons. 5. num. 25.* Lezana *consult. 56. num. 118. & de Cathedralitate Sanctæ Mariæ de Pilari Cæsar augustana cap. 1. num. 8.* vbi citat Mascardum *de probat. vol. 1. conf. 732. num. 1.* Ratio est; quia facta natura sua sunt incerta. *l. omnibus. ff. de iur. & fact. ignorant.* Barbosa *de axiomatib. iur. axiomat. 93. num. 28.* Et liquidum non compensatur per non liquidum, *l. vlti. C. de compens.* Lezana *consult. vltim. num. 34.* Quare, Reu. Adm Ruelas incumbit onus probandi

suam

suam renunciationē fuisse furtiuè, & dolosè Romam delatam, quod ei erit difficillimum, vel potiùs impossibile, quòd si gratis dixerit, gratis negabitur. *Secundò*, quia in duabus clausulis ipsius Reu. Adm. Ruelas in hac reperitur aperta implicatio, seu contrarietas; nam dum loquitur ad Reu. Adm. Gutierrez [vt constat ex illius petitione oblata Illustriss. Domino Hispaniarum Nuncio die 4. Septembris 1660.) hæc habet verba: *El qual maliciosamente, y con dolo, y engaño retuuo la dicha renunciacion, y la entregò al Maestro Velasco, que iua à Roma al Capitulo General.* Latinè sic: *Qui maliciosè, dolosè, & fraudulenter retinuit dictam renunciationem, & tradidit Magistro Velasco, qui Romam versus proficiscebatur ad Capitulum Generale.* Et pro parte ipsius Reu. Adm. Ruelas in eodem Tribunali eiusdem Illustriss. D. Nuncij fuit [vt constat ex processu fol. 1.) allegatum die 13. Maij 1661. *Y porque assi el dicho Padre Prouincial, como el Difinitorio, mi parte tiene entendido, que la persona, à quien entregò la renunciacion, que à ido à Roma à la celebracion del Capitulo General, se la à lleuado consigo, &c.* Latinè sic: *Et quia non solùm prædicto Patri Prouinciali, sed etiam Diffinitorio, quorum partem ago, innotuit, personam, cui tradidit* (Prouincialis vtique) *renunciationem profectam esse Romam, ad celebrationem Capituli Generalis, renunciationem secum detulisse, &c.* En verbis ipsius Reu. Adm. Ruelas, & eius Procuratoris nomine eius loquentis, tradidisse renunciationem Reu. Adm. Gutierrez, & eam tradidisse proficiscenti Romam; sed Reu. Adm. Gutierrez non est profectus Romam, & Romam profectus est Reu. Velasco: ergo vel renunciationē tradidit Reu. Velasco, & non Reu. Adm. Gutierrez, vel (quod est certissimum) est ipsimet contrarius. Tunc sic: quando Actor, seu Prouocator in aliqua causa est sibi contrarius, & in vna assertione sibimet nocet, & parti prouocatæ fauet: & in alia assertione nocet parti prouocatæ, & sibi fauet; tunc parti prouocatæ datur optio eligendi vtram liberit assertionem. Ratio est; quia aliás pars prouocata cogeretur subire nocumentum pro libito partis prouocantis, & pars prouocans ex sua fraudulentia, & contrarietate reportaret commodum, cùm sit proloquium in iure tritum: *Fraudem non debere patrocinari suo auctori*, & contrarietas in dicendo potiùs actori debet nocere, quàm prouocato; verba enim priùs ad limam, quàm ad linguam debent mitti, & qui inconsequenter, vel contraria loquitur, sibi imputet. Eliget proculdubio Reu. Adm. Gutierrez assertionem, qua Reu. Adm. Ruelas fatetur se tradidisse suam renunciationem Romam versus proficiscenti, videlicet Reu. Velasco, & testimonium partis aduersę valdè probat: De quo videatur Salicetus *in l. Quoniam liberi num. 6. in fin. C. de testib.* Campegius *de testib. in 4. fallent.* Corradus *in pract. § de testib. rubri. persona testi. num. 49.* Lezana *consult. 53. in append. num. 73* Quorsum ergo Reu. Adm. Ruelas obijcit Reu. Adm. Gutierrez, vel Reu. Velasco malitiosè, dolosè, & fraudulenter retinuisse, vel detulisse Romam suam renunciationem, quam vel non tradidit Reu. Adm. Gutierrez, saltem vt Romam deferret, vel tradidit Reu. Velasco, vt eam Romæ præsentaret Reuerendiss. Patri Generali, & Diffinitoribus Generalibus. *Tertiò*, demus aliquem esse adeò acris ingenij, vt sua mēte, & secum loquens hoc efformaret iudicium (an temerarium, necne, alij sint iudices.) *Reu. Adm. Ruelas, tempore suæ infirmitatis volens renunciare Prouincialatui, suam aptauit, & subsignauit renunciationem, & tunc, vel postea eam tradidit Reu. Velasco Romam proficiscenti, vt illam præsentaret Reuerendiss. Patri Generali, & Diffinitoribus Generalibus quà acceptata, exoneraretur ab onere officij, cui se imparem profitebatur, & imponeretur humeris validioribus.* (Hoc totum constat ex contextu renun-

 citatio-

ciationis, & assertionis supra datę locō secundò [*videns autem suam renunciationem vulgari in Prouincia* (fortè, quia ipse vulgauit, & dixerit in Visitatione Conuentuum Astigij, & Antiquariæ sufficere duas Visitationes ad Prouincialem agnoscendum, & vltimum vale illis dicens: vel fortè, qui finxit vulgatam; nam eam vulgare, non congruit solertiæ Reu. Adm. Gutierrez, nec Reu. Velasco, maximé, si [vt illis imputatur) vellent furtiuè, & dolosè renunciationem Romam deferri.) Sed pergamus in iudicio hominis istius. *Euoluens Reu. Adm. Ruelas hominum ingenium, inuenit esse tale, vt omnes conspiciant Orientem Solem, neminē verè Occidentem: & omnes velle executere iugū præsentis gubernij, futurum putantes leuius*, [vt contigit lib. 3. Reg. c. 14. à n. 4 vbi Roboamo dixit omnis multitudo Israel: Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis; tu itaque nunc imminue paululum de Imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi. *Et videns insuper Reu. Adm. Ruelas, vulgata sua renunciatione, neminem, vel paucos, sibi adhærere, qui erga ipsum præstarēt, quod Ioas præstitit erga Elisæū flens, & dicens*: Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius. 4. Reg. 13. num. 14. *Nec iam sibi adesse discipulos instar discipulorum Sancti Martini, dicentes*: Cur nos pater, deserit, aut cui nos desolatos relinquit; &c. *sed potius dicentes*: Imposuisti homines super capita nostra. Psal. 65. num. 10. *qui cùm debuissent imitari Petrum petram Ecclesiæ, vtpotè fundamentalem, in imo positam, & alios sustinentem, ambierunt sublimitatem se imponentes capitibus subditorū, vt eos præmerent, & pesumdarent. Hæc videns, & audiens* (diceret ille homo acris ingenij) *Reu. Adm. Ruelas cæpit machinari remedium, & pœnitens renunciationis factæ, adinuenit opportunum esse imputare Reu. Adm. Gutierrez, vel Reu. Velasco dolosam, furtiuam, & fraudulentam renunciationis delationem ad Reu. Patrem Generalem, & ad Diffinitores Generales, vt ea machinatione, se in Prouincialatu tutaretur. Sed tamen Deus*, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur, & cuius sapientia attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Sap. cap. 8. num. 1. & dissipat cogitationes malignorum. Iob cap. 5. num. 12. & hominum prouidentiæ sint incertæ. Sap. cap. 19. num. 14. *ita, sua ineffabili prouidentia, dispo suit res, vt scrutati iniquitates deficerent scrutantes scrutinia*. Psal. 63. nu. 7. Et protexit Reu. Adm. Gutierrez hominem innoxium á Conuentu malignantium, qui cogitauerunt consilium perdendi eum (*verba sunt ferè omnia Sancti Augustini in citatum Psal. 63.*] volentes probare, an Reu. Adm. Gutierrez sit Prouincialis ab hominibus solùm institutus, an in eius electione aliquid supra homines fuerit. Sed ita deseruerunt consilium pietatis, & in profunda versutia demersi sunt, vt verè ipsi obdormierint, qui, seruando, talia dixerunt, vt sibimet contrarij deprehenderentur: *nunc affirmantes tradidiße renunciationē Reu. Adm. Gutierrez, nunc asserentes tradidisse eam proficiscenti Romam Reu. Velasco. Quid ergo superest, nisi obijcienti insultare verbis illis Isaiæ cap. 33. num. 1.* Væ, qui prædaris, nonne, & ipse prædaberis? *Et Reu. Adm. Gutierrez, & Reu. Velasco aptare illa verba eiusdem Isaiæ cap. 14. num.* 1. & erunt capientes eos, qui se cęperant. *Et illa satis lepidè dicta*:

Qui tibi bella mouet, proles Prophetica, non te
Lædit: at suum traijcit ense caput.
Calce ferit stimulum, nam se miser ipse cruentat
Quæque putat stimulo se dare, damna capit.
Atque eadem patitur, quæ rupi allißa procella,
Abluitur rupes, frangitur vnda minax.

Sed

Sed tamen quorſum diſcurſus hominis iſtius? Nonne verſatur in ſerie poſſibilitatis rei? Maximè. Poteſt ne indè deduci ita de facto machinatum fuiſſe Reu. Adm. Ruelas? Abſit. Verùm negabit nullus poſſibilem fuiſſe eam machinationem conſideratam ſimpliciter, & abſolutè, cùm non repugnet abſolutè, & ſimpliciter, quamuis reſpectiuè ad virum ita probum, & ſincerum, cenſenda ſit repugnare ea machinatio. Etenim multa eſt malitia hominis, *& cogitatio humani cordis in malum prona eſt.* Gen. cap 8. num. 21. Deus nouit, qui *eſt diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Hebr. cap. 14. num. 12.* Partis confeſsio efficaciſsima eſt ad probandum, *ex Paul. l. 1. ff. & C. de Confeſſ.* Confeſſus pro iudicato eſt, & confeſsio eſt fortiſsima probatio. ex *l. Generaliter de probat. C. de offic. Ordin. Cap. Si Sacerdos de inter.* Lezana *conſult. 5. num. 41. in fine. Quartò*, quia præſumptio ſtat contra Reu. Adm. Ruelas, vel ſaltem in fauorem Reu. Adm. Gutierrez, & Reu. Velaſco. Contra Reu. Adm. Ruelas, quia ipſe verè aptauit, & ſubſignauit renunciationem, vt conſtat ex dictis *ſupra num. 2.* & eam tradidit Reu. Velaſco, vt conſtat ex dictis *ſupra hoc numero poſt initium, in ſecunda aſſertione.* In fauorem Reuer. Adm. Gutierrez, & Reuer. Velaſco, quia cùm ſit regula iuris ſatis trita, quòd nemo præſumitur malus, niſi probetur. *Cap. vltim. de præſumpt. l. Merito. ff. pro Socio. l. Socio. §. Qui dolo. ff. de probat.* Et tenet Abbas *in Cap. Cùm tu de teſtib.* Nauarrus *conſ. 549. num. 11.* quos ſequitur Lezana *conſult. 55. num. 6. in fine, & conſult. 16. num. 5.* & probat *ex Cap. vnic. de ſcrutin. in ordine faciendi. Cap. Dudum, de præſumpt. l. Seruos. ff. de manu teſt. l. Cùm pater. §. Rogo ff. de legat. Barboſa in axiomatibus iur. axiom. 77. num. 4.* & iterum Lezana *conſult. 49. num. 3.* Et vſque ad præſentem caſum, nullus vmquam vel ſomniauit Reu. Adm. Gutierrez, & Reu. Velaſco fuiſſe infidos, nec ſeorſim, nec ſimul ipſi Reu. Adm. Ruelas, imo ipſemet fatetur in illo libello exhibito in Capitulo Intermedio relato *ſup. num. 4.* eum, cui tradidit ſuam renunciationem (ſiue ſit Reuer. Adm. Gutierrez, ſiue Reu. Velaſco) eſſe perſonam ſibi adhærentem, & ſuæ maioris ſecuritatis, & ſatisfactionis: ergo præſumptio fidelitatis ſtat pro illis, dum non probetur contrarium: ergo gratis, imo iniurioſè, & contra iuſtitiam objicitur illis doloſa, & fraudulentia delatio renunciationis ad Capitulum Generale, cùm ſint in poſſeſsione ſuæ fidelitatis. Imo ipſe Reu. Adm. Ruelas fortè ſub mortali tenetur perſiſtere in renunciatione, propter ingentia inconuenientia à ſe aſſerta; argumento à contraria doctrina, quam tenet, relato Sigiſmundo de Bononia, Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 15. num. 23.* & Rodriguez *tom. 2. qq. Regul. q. 55. art. 1.* videatur ibi doctrina.

32 *Secundò* poteſt obijci, Reu. Adm. Ruelas non dediſſe Reuer. Velaſco ſpeciale mandatum, ſeu procurationem ad præſentandam ſuam renunciationem Reuerendiſs. Patri Generali, & Diffinitoribus Generalibus, cùm id ſit neceſſarium.

33 Reſpondeo *primò* ex dictis *ſupra num. 16.* ſuffeciſſe ad renunciationẽ faciendam, nomine Reu. Adm. Ruelas, mandatum, ſeu procurationem ita generalem, vt ipſe ſe refert ad omnia, quæ Reu. Velaſco faceret habens omnimodam ſuam facultatem, & promittendo ſe habiturum pro facto quidquid ille faceret, vt conſtat ex dictis *ſupra num. 5.* Et re vera, conceſſa hac plena, & libera procuratione, non requirebatur ſpeciale mandatum ad renunciationem faciendam; nam ea, quæ exigunt ſpeciale mandatum, ſunt *iuramentũ deferre, tranſigere, vel paciſci:* verba ſunt *Cap Qui ad agendum:* & tenent Barboſa *de clauſulis, clauſ. 35. in impreſsione Lugdun. à num. 16. & in Romana clauſ. 17. à num. 7.* & alijs relatis, Lezana *tom. 2. part. 2. verb. Mandatum, n. 4. in princ.*

Qui

Qui cùm appoſuiſſet aliquas exceptiones,addit: *Niſi generale mandatum fiat cum plena poteſtate, & libera; hæc enim clauſula includit ſpeciale mandatum*. Quid aptius ad intentum? Ergo, quamuis in procuratione authentica data Reuer. Velaſco,non extet ea libera,& plena facultas [non enim vidi iſtius procurationis inſtrumentum authenticum.) extat tamen in libello exhibito in illo Capitulo Intermedio toties repetito,& in literis familiaribus nuncupatis Reuerendiſsimo Patri Generali ſubſcriptis manibus ipſius Reu. Adm. Ruelas, & Diffinitorum illius Capituli,& extat etiam in literis familiaribus ad me miſsis, ſcriptis, & ſubſcript.manu propria Reu. Adm.Ruelas. *Secundò*; quia illa generalis,& omnimoda poteſtas nō erat neceſſaria niſi ad duo, vel vnum è duobus,videlicet,ad dandum ſuffragium pro Reu. Adm.Ruelas in electione Reuerendiſſ.Patris Generalis,& ad faciendam renunciationem; nam reliqua omnia,quæ erant agenda in Capitulo Generali,non poterant fieri per Procuratorem à Reu. Adm.Ruelas abſente; equidem,eo abſente,primus Socius electus à Prouincia obtinet munus Diffinitoris Generalis,vt conſtat ex Conſtitutionibus *p.4. cap.1.num.2.* per hæc verba: *Vnus autem trium prædictorum* (ſcilicet Prouincialis,& duorum Sociorum) *ſit in Capitulo Prouincialis electus in Diffinitorem Capituli Generalis: & ſi ille abeſſe contigerit dicto Capitulo, ſecundus ſit Diffinitor: & ſi duo defuerint,tertius præſens pro Diffinitore habeatur*. Ergò,cùm Reu.Adm.Ruelas in Capitulo Prouinciali Bœticæ Prouinciæ immediatè præcedente Capitulum Generale fuerit electus Diffinitor Generalis (vt conſtat ex Actis illius Capituli.) & abfuerit Capitulo Generali,primus Socius,de iure conſtitutionum,erat Diffinitor Generalis: ergo ab ipſo,& non à Reu. Velaſco,erant agenda negotia pertinentia ad Generale Diffinitorium: ergo ad ea negotia non requirebatur illa generalis, & omnimoda poteſtas: nec etiam requirebatur ad ferendum ſuffragium pro Reu. Adm.Ruelas in electione Reuerendiſſ.Patris Generalis,cùm ad id,ex ſtylo Ordinis , exigatur ſpecialiſsimum mandatum:ergo ſolùm ſupereſt,illam omnimodam facultatem eſſe datam Reu.Velaſco ad renunciationem faciendam pro Reu. Adm. Ruelas,& ad omnia alia pertinentia ad renunciationem,quæ ab abſente ſpecialiter præuideri non poterant. Vel dicat ipſe Reu. Adm. Ruelas quid aliud factum ſit in Diffinitorio Generali,virtute illius omnimodę, & generalis poteſtatis. Præterea,quia actus præſumitur factus in executionem præcedentis tractatus *l.3. §. Verum de manumiſſ. l. Qui in aliena. §. Si is, qui præſtabat, ff. de adquirend. hæred. l. Pignor. § fin. ff. de vſucap.* & actus ſecundus recipit declarationem à primo. Barboſa *in axiomat. iuris, axiomat. 12. num.3.* Lezana *tom.1. p.1 cap.2. num.59.* Et ſanè;ſi ſincerè vellit Reu. Adm. Ruelas veritatem dicere [prout debet tantus vir) dicet;Reu.Velaſco obijcienti ipſi, non poſſe renunciari Prouincialatui abſque ſpeciali mandato,ipſum Reu.Adm. Ruelas reſpondiſſe,ſufficere illam omnimodam,&generalem procurationem,& non oportere Notarium,& teſtes noſſe in particulari ſe renunciare Prouincialatui, ne vulgaretur renunciatio,& Prouincię daretur aliqua inquietudinis anſa: & adduxit in exemplum Reu. Adm. Magiſtrum Angelum Palacio (cuius memoria ſemper mihi venerabilis erit) noſtræ Prouinciæ Aragonię olim eximium Prouincialem,in Vniuerſitate Oſcenſi Veſpertinum Theologię Profeſſorem,Prouincię Bæticę Viſitatorem Generalem , inſtitutum à Reuerendiſſ. Theodoro Stratio cum omnimoda ipſius poteſtate (vt conſtat ex Actis Capituli Prouinciæ Bæticæ celebrati anno 1636.ſcriptis hac ipſa manu,qua hæc ſcribo, cùm eſſem Capituli Secretarius) qua auctoritate vſus Reu. Adm. Palacio diſpenſauit,abſque ſpeciali mandato,cum Reu. Adm. Magiſtro Gaſpare Ximenez,vt

poſſet

posset eligi Prouincialis, etiam non elapso sexennio (iuxta præscriptum *constit. part. 4. cap. 15. num. 3.*) ab alio obito Prouincialatu. Quod Reuer. Velasco nosse non poterat [vt saltem morali certitudine conijci potest) eò quòd tunc Religionem nondum fuerat ingressus. Ex quo clarè sequitur Reu. Adm. Ruelas eam omnimodam facultatem contulisse Reu. Velasco ad renunciationem pro ipso faciēdam, & omnia ad illam pertinentia, & non fuisse Romam delatam furtiuè, & dolosè, sed de ipsius R. Adm. Ruelas mente, scientia, patientia, imo & ex expressa ipsius voluntate. *Secūdò*, quia illud speciale mandatum ad renunciandum Prouincialatum per Procuratorem, erat supefluum, & inane, cùm per Socios teneretur resignare officium, iuxta dispositionem Constitutionis, cuius verba dedimus *supra num.* 18. & sic de facto præstitum est, vt constat ex Actis Capituli Generalis.

34 *Tertiò* potest obijci, electio facta intuitu renunciationis corruit, & irrita est claudicante renunciatione; sicut corruit, & irritum est matrimonium, claudicante consensu vtriuslibet contrahentis: sed electio Reu. Adm. Gutierrez facta est intuitu renunciationis Reu. Adm. Ruelas: ergo, claudicante renunciatione Reu. Adm. Ruelas, corruit, & irrita est electio R. A. Gutierrez. Minor patet ex Actis Capituli Genaralis Typis datis *pag. 5. vers. Die vigessima*, per hęc verba: *Quia Prouincialis Bæticæ, ob infirmitates, per suum Procuratorem officio suo renunciauit, institutus est in eius locum R. A. Gutierrez* Quòd renunciatio claudicet, patet ex duplici capite. *Primò*, quia renunciatio fuit retractata à R. A. Ruelas die 13. Maij 1660. & electio R. A. Gutierez fuit facta die 20. eiusdem mesis: ergo quando facta fuit electio, non erat Prouincia viduata suo sponso: ergo electio noui sponsi fuit irrita, sicut est irritum matrimonium initum cum fœmina, cuius primus vir putabatur mortuus, qui tamen re vera viuit, cui restituenda est, & separanda à secundo viro. *Secundò*, quia ad renunciationem Prouincialatus requirebatur speciale mandatum, quod non habuit Reu. Velasco: ergo, cùm claudicauerit renunciatio Reu. Adm. Ruelas, debet etiam corruere electio Reu. Adm. Gutierrez.

35 Respondeo distinguendo maiorem: electio corruit, claudicante renunciatione, quando electio habet vnicam, & adæquatam causam motiuam petitam à renunciatione liberè præstita, concedo maiorem: quando habet multiplicem causam adæquatam, & independentem vnam ab alia, & vna illarum adhibetur liberè, & alia necessariò, licèt non exprimatur nisi vna, & illa sit libera, nego maiorem, & rationem reddidi *supra num.* 22. & nunc de nouo confirmo à simili desumpta doctrina ex Thoma Sanchez de *de matrim. lib.* 8. *disp.* 23. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 3. Emanuele Sa *verb. Dispensatio, num.* 16. Ioan. de Castillo *to.* 3. *de Sacramentis tit.* 10. *disp.* 8. *dub.* 8. *num.* 156. Qui docent, quòd quando ad matrimonium concurrunt duo impedimenta inter se non connexa, & vnum eorum non auget indecentiam alterius, ne què simul construunt maiorem indecentiam, satis sit cuiusque impedimenti dispensationem petere, & non est necessarium explicare simul vtrumque impedimentum: verb. g. quando concurrunt votum, & affinitas. Ratio ipsorum (pro nunc, & ad nostrum intentum) est, quia explicatio simultatis impedimentorū istius generis nullo iure requiritur; nō positiuo, quia nullum tale ius reperitur: nō naturale; quia vnū impedimentū potest auferri non oblato alio: ergo si datur causa sufficiens, & adæquata ad dispensandum pro singulis, poterit peti dispensatio pro vnoquoque, & erit valida. Similiter possumus in nostro casu philosophalri (posito quòd simile nō debet tenere in omnibus, aliàs non esset similitudo, sed identitas, & solùm debet tenere in eo, ad quod adducitur.)

F Ergo,

Ergo, cùm in nostro casu adfuerint plures causæ adæquatæ ad acceptandam renunciationem Reu. Adm. Ruelas, & independentes ad inuicem, quamuis in Actis Capituli nó exprimatur nisi causa infirmitatis, id fuit factum in maiorem decentiam ergà honorem Reu. Adm. Ruelas; nam præter renunciationé factam per Procuratoré, adfuerunt alia ingentia inconuenientia exposita in genere ab ipsomet Reu. Adm. Ruelas in sua renunciatione, cui Capitulum in re graui, & testificanti contra se ipsum, fidem tenebatur pręsta re, vt consuleret bono Prouincię, cui non consuleret si non acceptaret renunciationé Prouincialis aientis sequi ingentia inconuenientia, ex eo quod ipse Prouincialatum obtineret: adfuit resignatio Prouincialatus facta per Socios, quam Reu. Adm. Ruelas non poterat impedire, nec electionem noui Prouincialis, vtpote vtramque præscriptam à Constit. citatis *supra num.* 18. *&* 21. adfuit sic esse bene visum Capitulo Gener. vt amoueretur Reu. Adm. Ruelas, & institueretur Reu. Adm. Gutierrez, vtendo plenaria ad id potestate sibi attributa à Constit. datis *supra num.* 21. Ergo quamuis claudicaret renunciatio ex parte retractationis renunciationis, & procurationis specialiter requisitæ [casu, quo ad id requireretur speciale mandatum, & non sufficeret generale, quod habuit Reu. Velasco qualificatum libera potestate, & omnimoda, vt diximus *supra num.* 16. *&* 33. Et quamuis hæ omnes causæ in nostro casu simul concurrerint: tamen, cùm ad effectum acceptandi renunciationem, & eligendi nouum Prouincialem, non coniugantur per se, nec necessariò, nec ex natura rei, sed per accidens, & contingēter, & quælibet sit prorsus idependens ab alia, & adæquata, & sufficiens, & non sit aliquod ius, nec commune, nec municipale Religionis expressum in Constitutionibus requirens expressioné huiusmodi coniunctionis causarum (aliàs exhibeat illud Reu. Adm. Ruelas) non valet argumentum desumptum à simili de Matrimonio in principio obiectionis: nam in Matrimonio per se, & necessariò, & ex natura rei requiritur consensus vtriusque cōtrahentis expressus per verba, vel signa significantia traditionem de pręsenti, cùm matrimonium sit contractus mutus onerosus citrò vltroque obligans; à necessariò enim connexis non valet argunmentum ad ea, quæ solùm per accidens, & contingenter coniunguntur; & hoc modo coniunguntur renunciatio Procuratoris Reu. Adm. Ruelas, & institutio Reu. A. Gutierrez, qua renunciatione etiam claudicante, subsisterent aliæ causæ adæquatæ supra memoratæ ad electionem Reu. Adm. Gutierrez. Displicet etiam exemplum Matrimonij adductū in fine obiectionis; saltat enim extra Chorum; nam fœmina, quæ viuēte primo viro, alteri nupsit, contraxit cū primo viro vinculum iure Diuino, & Naturali indissolubile, & perpetuum: quare, si secundas iniuit nuptias, viuente primo viro, illæ sunt irritæ, & inualidæ, & fœmina debet primo viro, tamquam vero proprietario restitui, vt habetur *Cap. Cum per bellicā, quæst.* 1. & relatis Barbosa, Rolando, Menochio, Sanchez, Farinacio, & alijs, tenet Transmiera *de Poligam. lib.* 1. *quæst.* 6. In nostro tamen casu dispar est omnino ratio; quia vinculum Prouincialis cum sponsa Prouincia, non est perpetuum, sed dissolubile, propter quamlibet ex enumeratis causis adæquatis. Ergo cùm vinculum Reu. Adm. Ruelas cum Bætica Prouincia fuerit dissolutum per Capitulū Generale qualibet ex dictis causis, vel ex omnibus illis, & Reu. Adm. Gutierrez per suam ritè, legitimè, & canonicè factam institutionem, contraxerit vinculū cum prius viduata Prouincia Bætica; eius electio subsistit etiam claudicante renunciatione facta per Procuratorem Reu. Adm. Ruelas, cùm non claudicēt omnes, nec singulę alię causæ adæquatè motiuę ad acceptandam renuciationem, & instituendum nouum Prouincialem Prouincię Bæticæ. Similiter possent

ſet reſponderi, permiſſa maiori, diſtinguendo modo dicto minorem.

36 Nec prodeſt Reu. Adm. Ruelas retractationem ſuæ renunciationis intimaſſe Illuſtriſſimo Domino Nuncio, non intimando etiam illam Reuerendiſſ. Patri Generali, vel Reu. Velaſco Procuratori à ſe inſtituto. Ratio eſt, quia retractatio erat intimanda omnibus illis, quibus ſuam renunciationem direxit acceptandam, vel Procuratori inſtituto ad renunciandum pro ſe, vt relatis Panormitano, Felino, & Imola tenet Thomas Sanchez *tom.* 1. *oper. moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 37. *num.* 31. ex Gloſſa *in Clementin. vnic. de renunciat.* per hæc verba: *Si perſona, cui facienda erat ceſſio, fuit expreſſa in mandato, illi facienda eſt notificatio, vel Procuratori: ſi verò mandatum erat generale, id eſt ad cedendum in manibus eius, qui recipere poterat, non iuuat notificatio, niſi facta ſit illi, qui recepit; imputet enim ſibi, qui omnibus debuit intimare, vel Procuratori.* Sed Reu. Ruelas mandatum ſuæ procurationis, vel ſuã renunciationis chartam ſolùm direxit Illuſtriſſ. Domino Nuncio, Reuerendiſſ. Patri Generali, & Diffinitorio Generali, vel Capitulo Generali, & renunciationem non nuncupauit in genere omni illi, qui recipere, vel acceptare poterat illam, ſed inſolidum nuncupauit Illuſtriſſ. Domino Nuncio, & Reuerendiſſ. Patri Generali, & vtrumque orauit inſolidum, vt acceptaret eam, vt conſtat ex dictis *ſupra num.* 1. & vterque ſeorſim (iuxta mentem ipſius Adm. Reu. Ruelas) poterat renunciationem acceptare: Ergo vtrique, videlicet Illuſtriſſ. Domino Nuncio, & Reuerendiſſ. Patri Generali, & Capitulo Generali, vel Reu. Velaſco Procuratori, debebat intimare retractationem renunciationis; ſed numquam intimauit Reu. Patri Generali, nec Capitulo Generali, nec Reu. Velaſco Procuratori, quod poterat cõmodiſſimè facere, vt conſtat ex dictis *ſupra num.* 19 quamuis eam intimauerit Illuſtriſſ. Domino Nuncio: ergo ſibimet imputet, qui negleixit, vel contempſit, vel ſic conſulto machinatus eſt, vt litem moueret. Quoties potuit quis aliquid impedire, ſi velit, & non fecit, conſentire videtur *l. Si fideiuſſor, cap. Mandati*, Bartol. *in l. Quæ dotis num.* 22. Lezana *in conſult. Appannag. dub.* 3. *num.* 85. Præterea Illuſtriſſ. Dominus Nuncius nuſquam recepit renunciationem: ergo non potuit illam acceptare; Reuerendiſſ. Pater Generalis eam reperit, & acceptauit, non nota, nec ſibi intimata retractatione vſque ad primam diem Iulij 1660. quando iam à 40. diebus erat inſtitutus in Prouincialem Reu. Adm. Gutierrez, vt conſtat ex dictis *ſupra num.* 3. & 10. & Capitulum Generale erat abſolutum omnino. Ergo intimatio facta Illuſtriſſ. Domino Nuncio non prodeſt Reu. Adm. Ruelas, non facta Reuerendiſſ. P. Generali, cui etiam inſolidum renunciationem direxit.

37 Nec etiam eneruat ius Capituli Generalis, nec inſtitutionem ritè, legitimè, & canonicè factam Reu. Adm. Gutierrez in Prouincialem, manutentio Illuſtriſs. Domini Nuncij obtenta in fauorem Reu. Adm. Ruelas; quia cùm manutentio ſit actus quidam ſubitaneus, per modum prouiſionis, non diſcuſſo negotio in iudicio contradictorio, neque per modum ſententialis diffinitionis, vt docet Lezana *conſult.* 26. *num.* 121. *in fine*, hinc eſt quod ius, & factum Capituli Generalis, & inſtitutio, & confirmatio Reu. Adm. Gutierrez manent in ſuo robore, & illeſæ. Similiter non obſtat iuramentũ emiſſum à Reu. Adm. Ruelas relatum *ſupra num.* 9. quia verſatur circa voluntatem, quæ eſt interna, & in foro extero non habetur ratio animi interni, ſed externę renunciationis. Lezana *to.* 1. *p.* 1. *c.* 2. *n.* 27. Nam aliud eſt eſſe talem, aliud haberi pro tali, Bartolus *in l. Si maritus. l.* 2. §. *Legis Iuliæ, n.* 1. *ff. de adult.* Iaſ. *in l. Prætor ait.* §. *Siuè autem, nu.* 2. *ff. de nou. opernunc.* Maſcardus *vol.* 2. *concl.* 596. *n.* 16. Lezana *in conſult. Appannag. dub.* 3. *n.* 56.

Nec

Nec prodest, si obijciatur Prouinciam Bæticam nusquam habuisse Prouincialem institutum in comitijs Generalibus; quia id in primis veritatem non continet, nam anno 1654. fuit institutus pro ea Prouincia in Capitulo Generali Reu. Adm. Magister Bartholomęus de Quintanilla. Deinde Capitulum Generale est in possessione, vt vsu suæ potestatis relatæ *supra num.* 21. & (vt alias omittam Prouincias) in mea Prouincia Aragoniç anno 1608. Reu. Adm. Mag. Stephanus, de Thous, S. Inquisitionis Qualificator, & in Vniuersitate Oscensi Sacrorum Bibliorum Interpres: anno 1613. in Capitulo Generali fuit institutus Reu. Adm. Mag. Michael Ripol, S. Officij à qualificationibus Consultor, Primarius Theologiæ in Cæsaraugustana Vniuersitate, & Synodalis Examinator: anno 1619. Reu. Adm. Mag. Anastasius Gazia in Vniuersitatè Valentina Cathedraticus: in comitijs generalibus vltimò celebratis anno 1660. fuerunt instituti Prouinciales (alijs etiam omissis] pro vniuersis Prouincijs Hispaniarum, videlicet Aragoniæ, Castellæ, Cathaloniç, Bæticæ, & Portugaliæ, & nulla Prouincia [nec Religiosus earum] vel mussitauit, nec conquęsta est de electione facta in Capitulo Generali, nisi solùm Bætica. Præterea, quia Prouincia Bætica per Socios à se electos, qui repræsentant totam Prouinciam, & per Gremium Capituli Generalis repræsentans totum Ordinem pręstitus est consensus in electionem Prouincialis Bæticę, & in confirmationem illius, nemine reclamante, vel contradicente, & est regula iuris desumpta ex *l. Sicut, Cod. de actio. & obligat.* videlicet, *quod semel placuit amplius displicere non potest:* & Glossa id intelligit etiam de electione. *Cap. Dilectissimi* 8. *quæst.* 2. de qua re videantur Lauorius *de electio. tit.* 4. *cap.* 19. *num.* 115. Sigismundus de Bononia *de elect. p.* 3. *dub.* 46. *num.* 6. communiter Doctores quos sequitur Lezana *to.* 1. *p.* 1. *cap.* 15. *n.* 109. Qui affert declarationem Sac. Congreg. & addit non posse admitti reclamationem contra electionem aliquam, si ij, qui reclamant antea in ipsam consenserunt, prout contigit in pręsenti per Socios Prouinciæ Bæticæ nomine, vt constat ex ipsorum literis, in quibus illa Prouincia dicit ratum, & gratum ipsam habitarum quidquid per eos factum fuerit. Qui consensus [teste Lezana ibidem) videtur habere vim resignationis iuris proprij (si illud habebat Prouincia] ad exigendum (saltem pro tunc) alio modo, prout [inquit) facilè ex S. Rotæ decisionibus, & Doctoribus confirmari posset. Et ex vi talis consensus, acceptationis, & non reclamationis potest colligi electionem Prouincialis Bæticę esse factam aliquo modo per scrutinium, & compromissum, qui modus electionis mixtę potest dari, vt cōmuniter admittunt Doctores, & firmat Sacra Rota in *Metensi Monaster.* die 5. Iulij 1621. & tenet Canisius *in compend. Decretal. tit. de elect.* §. *At in primis,* & Lezana *vbi proximè:* & intentum probat ex *Cap. Nulli licere de elect.* in 6. & *Cap. Concertationi de appellat.* ad quæ Capita Doctores communiter docent, consensum, seu acceptationem maximam vim habere in materia electionum, ita vt, qui semel aliquam electionē, vel modum electionis approbauit, contradicere postea non possit. Nihil, igitur, prodest obiectio.

38 Omitto alia leuidensia, quale est illud de delirij Reu. Adm. Ruelas casu, quo obijceretur, de quo actum est *supra num.* 24. *in medio.* Similiter si obijceretur, Reu. Adm. Ruelas renunciasse, vel vt impleret præceptum Constitutionis pręcipientis Prouincialibus moribundis renunciare suis officijs; vel; vt se conformaret consuetudini sic faciendi, quia in Religione nulla extat talis Constitutio, vel exhibeat illam Reu. Adm. Ruelas: deinde quia ipsemet fatetur (vt constat ex illius verbis datis *supra num* 24. *post medium*) se renun-

nunciare Prouincialatui, *non quia Prouinciales non saluentur, sed quia est maior perfectio, & cedit in externum exemplum*: & in renunciatione data *supra num. 2.* adducens causas motiuas suæ renunciationis, dicit esse, *quia ob defectum salutis officio inseruire non possum, & etiam ob alia ingentia inconuenientia, quæ sequuntur ex eo quòd à me obtineatur:* vbi nec meminit constitutionis, nec consuetudinis renunciandi. De ea consuetudine non constat, imo de contraria: tum quia in ipsa Prouincia Bætica absque renunciatione obierunt Prouinciales actualiter fungentes suo munere Reu. Adm. Mag. Ioãnes Duran, & Reu. Adm. Magister Christophorus de Aparicio: & in mea Prouincia Aragoniæ RR. adm. Magistri Ioannes de Heredia, Ioannes Pinto de Victoria, & Martinus Ximenez de Enbun, qui omnes fuerunt pietate, doctrina, & moribus præclari.

39 Ex his omnibus clarè sequitur electionem Reu. Adm. Gutierrez non fuisse subrepticiam, nec obrepticiam. Ratio est; quia tunc solùm committitur subreptio, vel obreptio, quando ad impetrandam aliquam gratiam, quæ aliàs non concederetur, allegatur aliquid falsum, vel tacetur aliquid verum, vel ita inuolutè loquitur, vt veritas non percipiatur á Principe gratiam concessuro (sic communiter Doctores, videatur Lezana *to. 2. p. 2. verb. Literæ Apostolicæ num. 3.*) Sed in electione R. Adm. Gutierrez nihil horum contigit: ergo eius electio non fuit subreptitia, nec obreptitia. Minorem probo per singulas partes. In primis nihil falsum fuit allegatum; quia R. A. Ruelas verè, & realiter renunciauit, vt consta t *sup. n. 2.* deinde causę allegatę ad acceptandam eius renunciationem fuerunt ipsius infirmitates, quibus præpeditus non poterat offi cio deseruire, & hanc causam veram esse ipse R. A. Ruelas fatetur veram esse *sup. num. 2.* Insuper hę causæ fuerunt expositæ per legitimum Procuratorem R. A. Ruelas, vt constat *supra num. 3.* & ex procuratione ipsa authentica. Quod non fuerit tacitum aliquid verum, patet; quia solùm posset obijci, Procuratorem subticuisse in sua Petitione ingentia inconuenientia, quæ sequebantur ex eo, quòd Reu. Adm. Ruelas obtineret Prouincialatum; & hoc non inducit subreptionem, vel obreptionem; nam præterquam quod ea inconuenientia exposita in genere continentur in renunciatione, vt constat *supra n. 2* quæ lecta fuit in gremio Capituli, vt testatur Secretarius *supra num. 3.* subticuisse Procuratorem in sua Petitione ea inconuenientia, non infirmat acceptationẽ renunciationis; quia expositis infirmitatibus, vtpote causæ adæquatæ acceptandi renunciationẽ, adderentur aliæ adæquatæ causæ eam acceptandi, ita verè, vtpotè assertæ á parte renunciante contra se ipsam, & exposita ea inconuenientia non redidissent difficiliorem, imo faciliorem acceptationem renunciationis. Deinde non est subreptitia, vel obreptitia electio Reu. Adm. Gutierrez eò quòd Reu. Velasco Procurator non exposuerit renunciationem furtiuè, & dolosè deferri; quia ex dictis *supra num. 19. & 31* constat renunciationem non fuisse dolosè, & furtiuè delatam, sed ex ipsius Reu. Adm. Ruelas scientia, & voluntate, & patientia: & actus iustificatur per scientiam, & patientiam Superioris, vel Principalis. *l. Si quis fugitiuus. § Ego puto. l. Quod si nolit 31. l. Qui assiduè. ff. de ædil. Cap. Nisi essent. de Præbend.* & tenent Gonzalez *ad reg. 8. Cancel. Glossa 9. §. 2. num. 88.* Lezana *to. 1. part. cap. 1. num. 65.* Et quamuis furtiuè, & dolosè fuisset delata renunciatio, dolus, vel fraus non induceret nullitatem renunciationis, acceptationis, vel electionis; nam dolus & fraus pertinerent ad aliam causam, nempé ad infidelitatem delatoris, non verò ad pręsentem causam, quæ longè diuersissima est. Amplius electio Reu. Adm. Gutierrez non est subreptitia, vel obreptitia eò quòd Reu. Velasco, Pro

curator non exposuerit retractationem renunciationis, & procurationis factā à R. Adm. Ruelas; tum quia ad retractationem præsentandam non habebat mandatum: tum quia Reu. Velasco non nouit retractationem: nam ipse (vt constat *supra num. 6.*) cum Socijs discessit à Prouincia in principio Februarij 1660. & Reu. Adm. Ruelas (vt ipse ait *supra num. 11.*) nouit suam renunciationem deferri Romam die 26. eiusdem mensis: ergo tunc potuit retractare renunciationem; & non in principio istius mensis, & cùm à die 26. Februarij, vsque ad diem 20. Maij, quando electus fuit Reu. Adm. Gutierrez (vt constat ex Actis Capituli Typis datis *pag. 5. vers. Die vigesima*) intercesserint 83. dies (vt dictum est *supra num. 19.*) & eo commodissimo tempore Reu. Admod. Ruelas non intimauerit Reu. Velasco suam renunciationem, Reu. Velasco nō poterat eam exponere Capitulo, quia ea non nouit. Imo dato, quod Reu. Velasco aliunde (seclusa intimatione) nouisset retractationem Reu. Adm. Ruelas, ea scientia non infirmaret renunciationem, vt constat ex Clementina adducta *supra num. 16.* Ergo ex nullo capite restat esse subreptitiam, vel obreptitiam electionem Reu. Adm. Gutierrez, nisi inuolucra verborum obscuritate, qua fuerit exposita renunciatio Reu. Adm. Ruelas: sed eam non contingisse obscuritatem constat ex ipsius tenore dato *supra num. 2.*

40 Quare dum Reu. Adm. Ruelas non probauerit legitimè, vel simul, vel seorsim, sex negatiua, & duo positiua, nihil probat ad rem præsentem. Negatiua sunt: *primum*, se non renunciasse: *secundum*, non dedisse mandatum sufficiens ad renunciandum Reu. Velasco: *tertium*, Reu. Velasco non renunciasse ipsius nomine: *quartum*, non fuisse acceptatam eius renunciationem: *quintū*, non fuisse ritè, legitimè, & canonicè, & à potentibus, institutum R. A. Gutierrez: *sextum*, non fuisse legitimè confirmatum. Positiua sunt: *primum*, intimasse retractationem suæ renunciationis, & procurationis nō solùm Illustriss. Domino Nuncio, sed etiam Reuerendiss. Patri Generali, quibus insolidū (vt constat *supra num. 2.*) suam nuncupauit renunciationem, vel Reu. Velasco Procuratori suo: *secundum*, malitiosè fecisse Reu. Adm. Gutierrez, vel Reu. Velasco quominus retractatio renunciationis, vel procurationis, veniret ad manus Reuerendiss. Patris Generalis, vel ad manus Reu. Velasco Procuratoris (vt dicitur in Clementina citata *supra num. 16.*) dum hæc (inquam] vel simul, vel seorsim non probauerit Reu. Adm. Ruelas, nihil probat ad intentum præsentis causæ, quamuis probauerit furtiuam, & dolosam suç renunciationis delationem Romam, fraus enim non dedit causam renunciationi; nam renunciatio multo tempore præcessit fraudem [si hæc fuit facta] Imo è contra renunciatio per abusum [si contigit, quod est quid facti, & reuertimur ad dicta *supr. n. 31.*) dedit causam fraudi: nec fraus dedit causam acceptationis renūciationis, nec noui electioni; quia, iuxta proloquium Phylosophorum, *nihil volitum, quin præcognitum*: & fraus [si fuit facta] non innotuit acceptantibus renunciationem, nec facientibus nouam electionem, sed renunciatio ipsa dedit causam acceptationi, & electioni: imo dato, & non concesso, sed negato, quòd fraus dedisset causam acceptationi, & electioni, nō dedit causam vnicam adæquatam, cùm adfuerint aliæ adæquatę causæ ad acceptandam renunciationem, & nouam electionem faciendam, vt constat ex dictis *supra nu. 35.* Et quamuis probet Reu. Adm. Ruelas eam retractationem fuisse pręsentatam Illustriss. Domino Nuncio, nil probat; quia (vt dixi] furtiua delatio non est ad rem pręsentis causæ, sed alterius: & intimatio facta Illustrissimo Domino Nuncio est insufficiens, cui non solùm nuncupauit renunciationem, sed etiam insolidum Reuerendiss. Patri Generali, iuxta *supra num. 36.* Ad maiorē abundantiam, demus

per

per possibile, vel impossibile Reu. Adm. Ruelas aptasse suam renunciationem modo dato *supra num.* 1. nullo prorsus Charactere deficiente, propria manu scriptam, & subscriptam, & obsignatã pane rubro, & sigillatam suo consueto sigillo, absque eo quòd innotesceret alicui, & eam in scrinio reposuisse, & clauẽ semper apud se habuisse adhibita tam diligenti cura in secreto habendo, & custodia illius, vt nec leuissimam incurrerit incuriam: tamen Deum, ministerio Angeli sui assumpto corpore, eam detulisse ad Reuerendiss. Patrem Generalem noscentem Reu. Adm. Ruelas characteres, & subscriptionem, qui vt certioraretur morali euidentia de veritate renunciationis adhiberet peritos in arte scribendi, qui facta collatione renunciationis, & aliarum literarum ipsius Ad. Reu. Ruelas iurarent renunciationis, & aliarum literarũ characteres exaratos esse eadem manu; & tunc Reuerendiss. P. Generalem, absque ministerio Procuratoris, simul cum Diffinitoribus Generalibus acceptasse renunciationẽ ex omnibus motiuis in ea contentis, & processisse ad institutionem noui Prouincialis; dum tamen hæc agerentur, & ante electionem noui Prouincialis; & ante acceptationem renunciationis, Reu. Adm. Ruelas euoluisse scrinium, & non inuenta renunciatione, recurrisse ad Illustriss. Dominum Nuncium, & coram ipso retractasse suam renunciationem: postea tamen, nota noui Prouincialis electione, reluctatum fuisse Reu. Adm. Ruelas asserente se retractasse renunciationem, & ob id irritam esse electionem de nouo factam: certè tunc valida declararetur electio, eo præcipuè quòd renũciasset, & non intimasset renunciationem Reuerendiss. Patri Generali, cui simul cum Illustriss. Domino Nuncio insolidum eam nuncupauit: at tunc non interueuit fraus; quam si allegaret, nullus admitteret; quia eam probare non posset: & quamuis aliquas adduceret congruentias, meritò repellerentur, eo vel maximè, quòd non intrarent substantiam renunciationis, acceptationis, nec nouæ electionis, & sibi soli imputaretur, qui renunciauit: ergo similiter in præsenti, quamuis probaret suam renunciationem furtiuè esse Romam delatam, & mandatum factum Reu. Velasco esse insufficiens ad renunciandum, dum tamen constet, vt ipse fatetur, renunciasse, & renunciationem esse acceptatam, vt constat, omne aliud impertinenter se habet ad præsentem causam, & Reu. Adm. Ruelas erit imputandum suam renunciationem habuisse effectum, eo quòd renunciauit verè, & realiter; & verè, & realiter renunciatio fuit acceptata; & renũciatio non fuit ligata conditioni, limitationi, nec modo alicui; sed simpliciter, & absolutè.

41 Quid ergo, sto pro Reu. Adm. Gutierrez, & contra Reu. Adm. Ruelas? Absit á me toto cælo nefas tantùm, qui nec per accidens id intendo, quamuis re ipsa per accidens sequatur. Sto pro Iure, pro Religione, quæ in Capitulo Generali rem dicussit. Sto pro Decretis Reuerendiss. Patris Generalis, & RR. Adm. Vicarij Generalis, & Assistentium, qui ter in Ordinis Consilio, maturè trutinatis, vsque ad minutissimos apices, tum libello exhibito in Capitulo illo Intermedio, & transmisso ad Reuerendiss. Patrem Generalem; tum literis pluribus familiaribus eiusdem Reu. Adm. Ruelas, in quibus omnem suam mẽtem propalat, semper est iudicatum contra ipsum, & in fauorem Reu. Adm. Gutierrez, imo in fauorem iuris Capituli Generalis expositi *sup. nu.* 18. & 21. Et tamen adhuc Reu. Adm. Ruelas reluctatur, & quærimonijs de proditoria, furtiua, & dolosa delatione suę renũciationis, & iniustitia sibi irrogata, implet Hispalim, Matritum, & Romam. Hæc scribo, vt Hispalis, Matritum, Vrbs, & Orbis nouerit volubilitatem hominis iam volentis, iam nolentis renũciare; vt noscant Reu. Adm. Ruelas non fuisse inauditum, & indefensum condemnatum: vt noscant, quòd data, & non concessa ea proditoria delatione renuncia-

tio-

tionis [quæ non intrat huius negotij substantiam ; cùm sit de priuata persona ad priuatam) Religionem tentasse omnia media lenia,& conducentia ad quietem Reu. Adm. Ruelas,& Prouinciæ Bæticæ. Quòd,si adhuc his medijs non quiescat Reu. Adm.Ruelas,accedat,vel per se ipsum, vel per Procuratorem ad Religionis supremum Patrem Generalem,& Ordinis Tribunal,& non audiet illa Marci Tullij Ciceronis in Cathirinam verba: *Quousque tandem abutere Cathirina,patientia nostra? &c.* imo benignè excipietur, & audietur,nó dico septies,sed vsque septuagies septies, imo vsque ad satietatem audietur. Quamuis, fortè,posset repelli, & non audiri, quia vel tacitè , vel expressè per suum Procuratorem,& per Socios repræsentantes ipsum,& totamProuinciam Bæticam,& per Gremium Capituli Generalis repræsentans totamReligionē (vt tenet Suarez *tom.4. Religio.tr.8.lib.2.cap.8.num.9.*)consensitin suam renunciationem,& acceptationem illius, & in electionem Reu. Ad. Gutierrez, de quo videatur Lezana *tom.2.in fine,in quadam relectione à num. 5.pag.mihi 661.* vel proximè,vel remotè (vt docent Thomas Sanchez *lib.4. de matrimon.disp.12.num.20.*& ex Sigismundo de Bononia,Lezana *tom.1 par.1.cap.15.num.21.in fine,& à num.90.vsque ad 94.* vbi refert aliquas S. Congregationis declarationes. Aliàs possent à quouis reprobari omnes Electiones, & Acta Capituli Generalis: nam non est maior ratio vnius,quàm alterius, & omnium,quo quid absurdius? Caueat autem,si accesserit ad Reuerendiss.Patrem Generalem,& Ordinis Cousilium,ne varius sit in oppositione causarum, quas primitùs præsentauit,& nouissimè adduxerit,cùm sit tritum proloquium de teste(quod impugnatori posse applicari testatur Lezana *vbi proximè nu.21.*) nempe,*Testis varius,testis falsus.* Faciat iterum congregari Capitulum Generale,vt reuocet Reu. Adm.Gutierrez ab electione,& confirmatione Prouincialatus,& ipsum Reu. Adm.Ruelas restituat ad Prouincialatum, à quo fuit amotus ob omnes illas,vel ob singulas causas adæquatas, quas memorauimus *supra num.35.* & cœcis oculis paruipendat ingentia illa inconuenientia, quæ ipse in sua renunciatione asseruit: nam Capitulum acceptauit illius renunciationem,& Capitulum instituit Reu. Adm.Gutierrez; & est *regula iuris in 6. quòd omnes tangit, debet ab omnibus approbari:* Non poterit fieri quod intendit Reu. Adm. Ruelas, nisi congregato iterum Capitulo Generali. Quòd si congregaretur, adhuc posset audire regulas illas iuris, *quod semel placuit amplius displicere non potest,num.21.*& sumitur *ex l. Sicut de action.& oblig.* Et illam:*Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum,num.33. ex l.Nemo potest mutare.ff.hoc tit.*Et illam: *Nemo potest venire contra factum suum.*De quibus regulis videatur Lezana *vbi proximè num.6.* Et videat ipsemet Reu. Adm. Ruelas, an possit hæc omnia deglutire, sin minus quiescat.

Denique solùm potest obijci pro Reu.Adm.Ruelas, & contra Reu.Adm. Gutierrez,&R.Velasco,*Neminē præsumi velle iactare id,quod suum est,*vt cōstat ex *l.Cùm de indebito,de probat.* Et ratio desumitur ex Apostolo dicente: *Expedit me magis mori,quàm vt gloriam meam,quis euacuet?*Et tenent Baldus *cons.312.lib.4.* Craueta *cons.2.num. 18 & cons.49.nu.7.* Villar. *in scholijs ad decretum Curiæ Iustitiæ Aragonum liter.S.*Et quia regula iuris est. *Nemo eligit viam,per quam iudicium suum subvertatur.l.3 vers.Nec credendus ff. de milit.testam. l.Quoties.ff.de verb.obligat. Cap.Abbate,iuncta Gloss.verb. Potius,de verb.signifi.*Mantica *de coniect.vltim.volunt.lib.2.tit.1.*Menoch. *de præsumpt.lib.6* Barbosa *in axiomatib.iur.axiom.160.num.3.* Ergo non præsumitur Reu.Adm.Ruelas dedisseReu. Velasco procurationem ad renūciandum pro se Prouincialatui,quo fungebatur. Respondeo regulæ iuris obijciendo

ijciendo aliam iuris regulam, quam adducit Lezana *in consult. de Cathedralitate Ecclesiæ Sanctæ Mariæ del Pilar Cæsaraugustanæ cap. 3. num. 280.* ex Vlpiano *lib. 5. ad Sabinum*, nempe, *id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest.* Cùm ergo Reu. Adm. Ruelas verè renunciauerit Prouincialatui per schedulam à se subsignatã, & renunciatio fuerit præsentata Gremio Capituli Generalis per Procuratorem legitimum, pro tali habitum à Reu. Velasco, sequitur Prouincialatum Reu. Adm. Ruelas cum ipsius facto fuisse translatum ad alium de nouo institutum Prouincialem; quare nec iactauit Prouincialatum, nec gloriam illius alius euacuauit, sed ipsemet elegit viam per quam eius iudicium subuerteretur. Nec releuat si dicat Reu. Adm. Ruelas, quod cùm Reu. Velasco præmeretur ostendere se ad renunciandum habuisse speciale mandatum, respondisset reliquisse Romæ mandatum, illud tamen extracturum ex originali relicto apud Notarium, & iste de hoc requisitus non exhibuit, eo quod non curauit reponere, in suo registro, dedisse tamen Notarium fidem quod in ea procuratione non habebatur speciale mandatum ad renunciandum. Hoc [inquam] non releuat. *Primò*, quia forte exhibita originali renunciatione subsignata manu Reu. Adm. Ruelas, quam ego ipse vidi, non erat necessarium speciale mandatum ad renunciandum, sed ad summum ad præsentandam originaliter renunciationem, ad quod tamen necessarium non erat, sed sufficiebat illud generale, & omnimode mandatum supra sæpius assertum. *Secundò*, quia illa fides Notarij [quamuis aliàs illustris, & magnæ auctoritatis) non plus operatur, quàm fides cuiuslibet alterius priuatæ personæ (vt in casu ferè simili habet Lezana *in consult. Appanag. dub. 3. nu. 101. & 102.* ex Bartolo *in l. Imperator ff. de testam. homin.*) Et ratio est, quia Notarij munus est quoddam merum ministerium consistens solùm in confectione instrumenti, & in illo, & per illud ipsi fides adhibetur plusquam alijs priuatis personis: at verò post instrumentum confectum, & extra illud, aut contra illud, cùm iam sit functus suo munere, solùm ei præstatur fides, sicut priuatæ personę. Quare S. Rota *in 2. p. diuers. decis. 285.* ex Ægidio, Aymone, & Felino concludit, quòd Notarius testari non potest de actu præterito. Et eadem S. Rota in Valentina *Canonicatus, decis. 137. num. 3.* ait, quòd circa attestationem de præterito non creditur Notario. Videatur Ferentillus *in annotat. ad Burrattum, decis. 688. num. 16.* vbi ait: *Fides Notarij attestantis de actu præterito non probat.* Nihil ergo releuat attestatio ista Notarij, si adducatur à Reu. Adm. Ruelas.

Tandem, dato & non concesso, quòd dubitaretur de sufficientia procurationis Reu. Velasco ad renunciandum, præsumptio stat pro sufficientia illius. Ratio est; quia quilibet præsumitur elegisse viam, per quam dispositio sua sit valida, & habeat effectum; non autem, vt impugnari possit, & reddi ad nihilum. Constat ex *l. 3. ff. de testam. milit.* & tenent Alciatus *de præsumpt. reg. 3. præsump. 33.* Soccinus iun. *lib. 1. consil. 103. num. 28.* & nullus præsumitur velle facere actum frustratorium; *l. 1. in fin. ff. de municip. l. vnic. C. de thesaur.* Et ratio naturalis dictat, vt quod vir bonus semel dixit, postea non reuocet. Guidopap. *decis. 254.* Caputaquensis *decis. 109. num. 1. part. 1.* iuxta Ius diuinum. *Deuter. cap. 23. Quod semel egressũ est de labijs tuis obseruabis.* Et Psal. 88. *num. 34. Quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita.* Maximè, si persona illustris sit genere, vt tenet Thomas de Thom. *in flor. leg. reg. 67.* & præcipuè, si agatur de animæ salute, vt ait Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 1. num. 29.* Quę omnia verificantur de Reu. Adm. Ruelas, qui natalibus est illustris, moribus pręclarus, doctrina insignis, & tempore, quo aptauit renuncia-

tionem,erat morti proximus,& præsumebatur memor salutis æternæ, vt tenet Ruinus *lib.3.cons.78.num.12.* Rinaldus *cons.58.num.31.* Et quando dedit procurationem R. Velasco nondum conualuerat integrè, & memoria salutis æternæ non defecerat in attentissimo Religioso: ergo præsumitur elegisse viam procurationis sufficientis ad validè renunciandum pro se, & vt renunciatio sortiretur effectum, & vt non posset impugnari, vt postea ipse ex insufficientia illam impugnat. Deinde, quia clausula illa literarum Reu. Ad. Ruelas, (quarum in superioribus meminimus) loquens de R. Velasco, videlicet, *Que daua por hecho todo lo que èl hiziesse*: hoc est, *quod pro facto habebat quidquid ille faceret*: est valdè energica, vt docet Peirinis *in formulario liter. P. cap. 8. num. 6.* Ergo, si ipse posset sufficienter, & validè renunciare (vt est plusquam certum) & cessaret omnis insufficientiæ, & fraudis præsumptio, vt constat ex communi placito Doctorum, *in l. interpositas, C. de trans.* & tenet Mascardus *de probat. vol. 2. conclus. 711. num. 18. & conclus. 1005. num.* 18. & ostenditur ratione; quia illis verbis præsumitur præsens persona mandantis in mandatario: ergo cùm Reu. Adm. Ruelas præsens posset renunciare, renunciante Reu. Velasco, censetur ipse renunciasse: est enim Iuristarum axioma: *Nostra omnia facimus, quibus auctoritatem nostrã impartimur*: ex *l. 1. § Omnia, C. de veter. iur.* Præterea scientia, & patientia R. Adm. Ruelas id suadet, cùm 83. dies ante electionem Reu. Adm. Gutierrez nouerit Reu. Velasco, vt Procuratorem deferre Romam suam renunciationem, vt constat ex dictis *supr.* & ex *l. Quoties la 2. ff. de seruit. l. Si quis diuturno. ff. Si seruitus vendicetur*, & docet Lezana *de Cathedralitate Eccles. S. Mariæ del Pilar Cæsaraug. cap. 4. n. 285.* Quoties aliquis potuit impedire, si vellet, & non fecit, videtur consentire. *l. si fideiussor C. Mandati.* & tenet Bartol. *in l. Quæ dotis, num.* 22. Quod maximè procedit quando quis patitur, & non contradicit, nam paria sunt consentire, & obedire vt, relatis Caputaquensi, Puteo, & decis. S. Rotæ, tenet Gonzalez *in reg. 8. Cancel. q. 47. num.* 27. sed Reu. Adm. Ruelas 83. dies ante præsentationem suæ renunciationis nouit insufficientiam procurationis (si insufficiens fuit) & timere potuit passionem, vt postea conquæstus est pati, & non impediuit: ergo censendus est sua scientia, & patientia suppleſſe insufficientiam (si adfuit) procurationis. Nec releuat, si dicat, non id credidisse statim post notitiã; quia sicut, nimis credulus, sibi debet imputare, *l. Aciles. §. pen. ff. de adult. l. Nimia credulitate, C. de actio. & obligat.* cùm contrariorum eadem sit doctrina, sic nimis durus sibi debet imputare.

Sic censeo sub lima, & censura &c. in Conuentu Sanctæ Mariæ Transpontinæ Romanæ, die 5. Ianuarij anno 1661.

Fr. Laurentius Angelus Espin Hispanus Sac. Theol. Doctor, & Assistens Generalis Ordinis Carmelitarum.

Post hæc scripta Sacra Congregatio Eminentissimorum Dominorum Cardinalium die 14. Ianuarij 1661. vt constat ex ipsius Decreto, confirmauit electionem Reu. Adm. Gutierrez, & roborauit Decreta Reuerendiss. Patris Generalis, & Consilij Assistentium.

Deniq; Sanctissimus Dominus Noster ALEXANDER VII. medio Breui sub anulo Piscatoris apud Sanctam Mariam Maiorem die 7. Februarij 1661 postquam confirmauit Decreta Reuerendissimi Patris Generalis, & Consilij Assistentium, & Sacræ Congregationis Purpuratorum Dominorum Præpositorum

torum negotijs,& consultationibus Regularium, addit hæc verba: *Decernentes has literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, & ab illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inuiolabiliter obseruari, sicque in præmissis, per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, scientia, vel ignoranter contigerit attentari.*

Neap. apud Cintium Passer. 1661. Cum facult. Sup.